Gury

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
2 K
27

13—22. 6. 18.

Digitized by Google

# PRAXIS

## SECRETARIÆ TRIBUNALIS

*Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi*

# D. D. CARDINALIS URBIS VICARII,

*CIRCA*

PROMOVENDOS AD TONSURAM, MINORES, ET SACROS ORDINES IN ALMA URBE.

*Ad uſum, & inſtructionem, non modò Ordinandorum, verùm etiam dictæ Secretariæ Miniſtrorum, ac Cancellariorum Epiſcoporum.*

A ROMUALDO HONORANTE

Presbytero Aſculanæ Diœceſis, Sacræ Theologiæ Doctore, Prothonotario Apoſtolico, Sacræ Viſitationis Apoſtolicæ Cancellario, ac in eadem Secretaria primo Subſtituto,

concinnata, & illuſtrata.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMÆ MDCCXLVI.
Typis Octavii Puccinelli.

*Superiorum Facultate.*

Digitized by Google

Digitized by Google

*SSm̃o Domino Noſtro*

# BENEDICTO XIV.

## PONT. MAX.

ROMUALDUS HONORANTE
D. D. D.

QUAMQUAM *Te in excelſo Petri ſolio, ad Chriſtianæ Reipublicæ gubernacula excubantem, & perpetuà divinarum, humanarumque rerum expedi-*



Digitized by Google

*tione diſtentum, pauliſper morari piaculum videri poſſit; flagrans nihilominus eccleſiaſtici ordinis erudiendi Zelus, quo Cathedram Apoſtolicam imples, tantos mihi animos fecit, ut in ſpem jucundiſſimam venerim, & facilè adductus fui, quò meum officium, haud ingratis Tibi fore putarem; Quid ni tenues has ſcriptiones meas, quas ad ordinandorum præcipuè inſtructionem, qui in ſortem Domini vocati ſunt, jampridem compegeram, quaſque Sacri Concilii Tridentini Decretis, ac ſummorum Pontificum Bullis, & edictis illuſtraveram, quorum Tu magna pars* BEA-

TISSIME PATER, *Tuo potiſſimum Nomini inſcriberem? Cum probè noverim quantus* BEATITUDINEM TUAM *Religionis ardor inceſſerit, ut Sanctiſſimis, ac omni laude refertis Conſtitutionibus, Eccleſiæ leges, ac ſanctioris diſciplinæ jura, quæ aut oblita, aut neclecta fuerint, poſtliminio revocares, ac ſarcta tecta voluveris. Hinc fore ſpero, ut quantum huic operi, ab Auctoris exilitate detrahitur, eidem, a* SANCTITATIS TUÆ *præclariſſimo nomine, tandundem celebrationis accedet. Optarem ſanè,* BEATISSIME PATER, *Magni Leonis, & Ambroſii eloquentiam, ut aliqua*

*hinc de Te digna loqui, ac egregia tua, maximaque facinora, nobiliſſimorum Avorum tuorum illuſtria facta longiſſimè exuperantia, prædicare liberè poſſem, qua quidem in re ampliſſima, vaſta mihi materies ſuppeteret. At ſummæ audaciæ me quiſque fortaſſis inſimulet, ſi quæ a* SANCTITATE VESTRA *ſunt, in tanto honorum decurſu, cùm exarata, tùm geſta, ea putem a me poſſe pro faſtigio rerum, facta dictis æquando, percurrere: perinde ac ſi latum, & ſpatioſum undis Oceanum exiguo Fontis alveo concluſum ire confiderem. Enim verò quid verbis opus*

*eſt?*

*eſt? Rerum tuarum ampliſſimarum, non eſt mei, nec cujuſvis eſt laudum tuarum Præconis digna ponderatio. Ponderarunt oppidò perſpectiſſimi æqui æſtimatores, Clemens XI., & Benedictus XIII. memoriæ nunquam interituræ, ſanctiſſimi re, & nomine Pontifices Prædeceſſores Tui, qui Tuà ſapientià, & induſtrià, aliis, aliiſque documentis ſpectata, ad plurimarum, maximarumque rerum adminiſtrationem, ſibi utendum cenſuerunt; Quorum alter poſtremò, quaſi vaticinans, Te ad ſummum perventurum imperium, purpureis Infulis decoravit. Ponderarunt Anconi-*

*nitanę, & Bononienſis Diœceſeos inſignes prudentià homines, quibus ad ſacra jura reddenda Antiſtes præfuiſti; Qui Te, magnitudine animi, integritate, magnificentia, ſplendore vitæ, apprimè omnibus commendatum, etiam num ferunt in oculis, ferunt in ore, ferunt in corde, amore, admiratione, præconiis, quæ tamen veritas, non adulatio unquam expreſſit. Ponderarunt eruditi quique Criterio viri, ubi celeberrima Tua prodierunt in lucem volumina, quæ de illuſtribus Servis Dei, quibus cœlitum honores decerni ſolent, tractationem inſtituunt; tantis adeo, præclariſ-*

*que referta lucubrationibus, tantis exemplis enucleata, tantis ſcripturæ locis illuſtrata, tantis demum rationum momentis, Patrumque auctoritatibus roborata, ut citra aſſentationem omnem, in hoc ſcribendi genere, nihil ultra deſiderari poſſe, aut accedere, unanimi conſentione putaverint. Ponderarunt denique Sacri, ampliſſimique Senatus Patres Sapientiſſimi, qui flammea Spiritus Sancti luce, repentè de Cœlo emiſſa, ſuccenſi, Te, ſerò quidem Nobis, citò autem Tibi, atque inſperatò, tota Urbe, totoque Orbe plaudente, ad ſummi Pontificatus ſupra Eminentiſſimam digni-*

*tatem, omnium votis, & animis evexerunt. Et quidem tàm præclarè iis muneribus obeundis, quæ Regalis Sacerdotii partes ſuut, Te parem præſtitiſti, ut communem omnium expectationem, exitu ipſo ſuperatam eſſe comperiamus. Mirantur quidem omnes, Te vicarià Chriſti poteſtate fungentem, pietatis officiis, tàm ſedulò incumbere, ut in Petri Cathedra, nemini ſecundus videaris; etenim eo ſemper omnem operam tuam, cogitationeſque omnes intendis, ut nedum Chriſtianis Populis, qui ſub tuæ dominationis, quadam amplitudine complectuntur, ſed & externarum Re-*

*li-*

*ligionum cultoribus, efferatiſque gentibus, æternæ felicitatis gloriam, hinc verbo, & exemplo, hinc miſſis ubique terrarum Evangelii præconibus, comparares. In Urbe verò, quid antiquius Tibi fuit, quàm propenſa in omnes beneficentia, & Charitate, qua proximè ad Deum accedis, infimos quoſque, & infirmos patria voce, & amore complecti, ut dicere poſſis cum Apoſtolo,* quis infirmatur, & ego non infirmor. *Hujus ſanè tàm præcellentis erga inopes, ægroſque miſerationis affectùs, teſtis locupletiſſimus extat inſigne Archioſpitale Sancti Spiritus, in quo amplian-*

*do, profuſa ingenti Pecuniarum vi, non ex publico Romanæ Eccleſiæ Ærario, ſed ex privato Tui Sacerdotii cenſu, perenne monumentum, quod nulla unquam ætas, nulla delebit oblivio, haud longè ab ea littoris ora, quà Tyberis Pontem proximum ſubit, excitatis nobilibus ædificiis, felicitèr abſoluiſti. Quid autem de Templorum cultu, & magnificentia eloquar? Loquuntur profectò Liberianæ Baſilicæ ædes, ſeu ab imo ad Summum, a Te magnificentiſſimè erectæ, ſeu nondum ante abſolutæ, ad coronidem uſque tuà munificentià perductæ, quæ interioris veſtibuli abſidem,*

*muros, pavimentum, quà marmoribus, quà columnis, quà toreumatibus inſignes; Aream, extructis ad Templi crepidinem paris longitudinis gradibus, claram; faciem denique, & frontem, Satuis, ac veteri muſivo opere inſtaurato, ſublimes, nedum a Te magnis, propriiſque impenſis ornatas, ſed ex integro reſtitutas, a fundamentis aſpexerint. Lapides de pariete clamant, ut ſcripturarum utar oraculis, venerandæ antiquitatis Eccleſiæ S.Crucis in Hieruſalem, Tui olim in Cardinalatu Tituli, a Conſtantino Magno, plurimis retrò ſæculis, in agro Seſſoriano conſtru-*

*ſtæ, quæ temporum injuria, & vetuſtate fatiſcens; ad miraculum propè, ſtrata in ſalebroſo, & prærupto ſolo, virentibus hic inde arboribus via, immenſo Populorum gaudio, immenſiſque, quod majus eſt, tuis ex proprio ære effuſis Theſauris, formoſior conſurgere viſa eſt; Ut proinde dubium non extet, magni Imperatoris, an Maximi Pontificis* BENEDICTI XIV. *delubrum dici jure merito poſſit. Hæc quidem cum magna ſint*, BEATISSIME PATER, *illud ſuper omnia maximum, in te mirari non deſino, quod ſanguinis claritatem, cum mitiſſimo ingenio, omnigenæ*

do-

*doctrinæ eminentiam, cum ſuaviſſima morum elegantia, atque ſupremam omnium dignitatem, habentem cum divinitate commercium, indiſſolubili nexu, cum Evangelicæ humilitatis prætioſiſſima margarita, amico fœdere copulas. Cum enim præter excelſa, Tibi ſupra mortales omnes excelſo, ſiſtere minimè liceat, tenuiſſimam tamen laborum meorum operam, benigniſſimis oculis excipere non es dedignatus, nec quid deceat* SANCTITATEM VESTRAM, *ſed quod præſtari a mea imbecillitate poſſit, clementiſſimè cogitaſti. Dum igitur pares referre grates,*

*pro*

Digitized by Google

*pro rei dignitate, non valeam, quod Tibi exhibitum parvum hoc animi mei monumentum, offerre poſſe permiſſum ſit, deprecor Deum optimum maximum ( id quod unum, nihilque aliud mihi ſupereſt ) ut fauſta omnia* SANCTITATI VESTRÆ *tribuat tranquillum Ævum, diuturnum imperium, perpetuam felicitatem. Ego interim provolutus in genua, benedictionem a* BEATITUDINE TUA, *Sanctiſſimorum Pedum veſtigia exoſculans, pronus, & ſupplex imploro.*

BE-

# BENEVOLO LECTORI.

CUm viginti, & amplius annorum experimento, quibus Secretariæ Tribunalis Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi Domini CARDINALIS URBIS VICARII, primi Subſtituti munere functus ſum, & uſque nunc vel immerens perfungor, abundè compertum ſit, non paucos in hac Alma Urbe, cùm Cives, tùm exteros, Summorum Pontificum, ac præcipuè SSmi. D. NOSTRI PAPÆ leges, quæ pro Cleri reformatione ſalubriter emanarunt, aut omninò ignorare, aut falſa interpretatione fruſtrari. Hinc ne hujus execrabilis negligentiæ, aut abusùs, excuſationem præferre aliquando valeant; & ne dictarum legum planities, ( ut verbis utar D. Gregorii ) alta fortaſſe videatur, eas ſub brevitate tranſcurrere arbitratus ſum, ut neſcientibus fiant cognitæ, & ſcientibus non ſint oneroſæ. Quare præſens tractatus, principaliter ad promovendos ad Ordines dirigitur,

ut ſciant, quid poſt providas Summorum Pontificum Sanctiones agere, quidque præmittere, & ſcire teneantur, ac inſuper, ut proſpectum habeant, quibus pœnis ſubjaceant, contra dictas Sanctiones, Ordines ſuſcipiendo, hocque modo, a fraudibus omninò ſe abſtineant machinandis. Dividitur in decem, & octo Capita, in quibus, documenta neceſſariò exhibenda a Romanis, & Exteris cujuſcumque Nationis, & Ritùs Catholici recenſentur, adduntur que cuilibet capiti nonnullæ adnotationes, quæ ad citò difficultates diſſolvendas, quæ paſſim inſurgere ſolent, Deſervient, cum Sacris Canonibus, Summorum Pontificum Conſtitutionibus, & Edictis, Sacrarum Congregationum Decretis, Romanæ Rotæ Deciſionibus, ac Theologorum, Canoniſtarumque Eximiorum Doctrinis innitantur; Ideoque earum lectio non ingrata, nec infructuoſa erit futura. Accedit ad hæc facilis cognitio ſelectarum interrogationum, earumqne reſponſionum, quæ ab Ordinandis ſciri oportet, ne in examine tamquam ignari reiciantur, ac ut munera ſua valeant adimplere: ſed ut omnia benè calleas,

opor-

oportet, quòd Pontificias ipſas diſpoſitiones attentè perlegas, accuratèque, conſideres, proindeque antè dictorum capitum tractationem, celebriores, & ad hanc materiam ſpectantes Conſtitutiones, & Edicta, per extenſum tranſcribere curavi, non ut voluminoſum codicem Typis mandarem, ſed ut Bullario carenti conſulerem. Utinam in meliorem partem explicatas comperias, id ſaltem in votis fuit, ut ſecurius ad Eccleſiaſticos Ordines accedas, quod ſi conſecutus ſum, omnipotenti Deo gratias referas, cum omne donum deſurſum ſit: ſin minus, ſiniſtrum repereris, auctori deferas, qui ita cenſuræ Sanctæ Eccleſiæ, judicioque prudentum, opus ſubmittit, ut quæ ipſis exoſa appareant, quaſi non ſcripta, ultrò iterumque refellit. Vale.



Digitized by Google

*IMPRIMATUR,*

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Mag. Sac. Pal. Apoſt.

*Ferdinandus Maria de Rubeis Archiep. Tarſi Viceſg.*

---

*IMPRIMATUR,*

Fr. Nicolaus Ridolfi Mag. Sac. Palat. Apoſt.

IN-

# INDEX CAPITUM.

## CAPUT I.

*DOcumenta, ſeu requiſita exhibenda in forma valida à Romanis, prima Clericali Tonſura initiandis.* Pag. 42

## CAPUT II.

*Requiſita Romanorum, qui ad Minores Ordines promoveri cupiunt.* 89

## CAPUT III.

*Requiſita Romanorum ad Subdiaconatum promovendorum.* 108

## CAPUT IV.

*Requiſita Romanorum ad Diaconatum promovendorum.* 148

## CAPUT V.

*Requiſita Romanorum ad Presbyteratum aſſumendorum.* 156

CA-

CAPUT VI.

*Requiſita Exterorum, qui ad primam Tonſuram, vel ad Ordines, ſive Minores, ſive Sacros in Vrbe promoveri petunt.* 180

CAPUT VII.

*Obſervanda ab iis, qui ſunt de Regno Neapolis, ad primam Tonſuram, vel Minores Ordines promoven.* 198

CAPUT VIII.

*Requiſita pro Clericis exteris, qui ratione Beneficii, in Vrbe exiſtentis, ac per eos pacificè poſſeſſi, volunt a Vicario Vrbis, abſque literis Dimiſſorialibns propriorum Ordinariorum promoveri.* 205

CAPUT IX.

*Pro exteris, qui ratione Domicilii, in Vrbe contracti, abſque Dimiſſoriis proprii Ordinarii, promoveri cupiunt.* 228

CAPUT X.

*Pro Vltramontanis, tàm ad primam Tonſuram, quam ad omnes Ordines promovendis, obſervanda.* 251

CA-

CAPUT XI.

*Pro Exteris, qui in Urbe ab Emo Vicario, vigore ejus facultatum, ex Indulto S. M. Gregorii XIV. ad primam Tonſuram dumtaxat, abſque literis Dimiſſorialibus proprii Ordinarii admitti obtinent, requiſita.* 261

CAPUT XII.

*A Regularibus, tàm ad primam Tonſuram, quàm ad quoſcunque Ordines promovendis, neceſſario exhibenda.* 270

CAPUT XIII.

*Orientales cujuſcumque Catholici Ritus, etiam latini, ut ad quoſcumque Ordines in Urbe promoveri poſſint, requiſita.* 323

CAPUT XIV.

*Pro Romanis, extra Urbem ad primam Tonſuram, alioſque Ordines promovendis.* 344

CAPUT XV.

*Pro Romanis, extra Urbem, ratione Beneficii, vel Domicilii, in alienis Diæceſibus promovendis.* 361

CA-

CAPUT XVI.

*Pro Clericis exteris, in Vrbe degentibus, & extra Vrbem promoveri volentibus.* 377

CAPUT XVII.

*Referuntur Privilegia Apoſtolica, circa Ordinationem, nonnullis Perſonis, ac Collegiis Vrbis, a Summis Pontificibus reſpective conceſſa.* 385

CAPUT XVIII.

*Interrogationes ſelectæ, ac reſponſiones pro examinandis ad primam Tonſuram, Minores, & Sacros Ordines.* 397

CON-

# CONSTITUTIO
# INNOCENTII XII.

## *Qua plura declarantur, ac præſcribuntur pro tollendis abuſibus, & fraudibus circa Ordinationes alienorum ſubditorum.*

Innocentius Epiſcopus Servus Servorum Dei.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

SPeculatores Domus Iſrael, quæ eſt Sancta Dei Eccleſia, per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam conſtituti, eo potiſſimùm ab ipſis Pontificatùs Noſtri primordiis, Paſtoralis vigilantiæ noſtræ ſtudia convertenda eſſe duximus, ut, qui in ſortem Domini vocantur, ſacriſque addicuntur Miniſteriis, quippè quos irreprehenſibiles eſſe convenit, ut præeſſe valeant corrigendis, ac in quos, tanquàm in ſpeculum reliqui Oculos coniiciunt, ex iiſ-

que ſumunt quod imitentur, tales ſint, qui dignè poſſint Dominica Sacramenta tractare, ac ædificént cunctos, tàm fidei ſcientia, quàm operum diſciplina. Sanè hoc inito conſilio, non alios quantùm fieri poteſt, quàm qui in Sanctitate, & juſtitia per ordinatiſſimos Eccleſiaſticæ militiæ gradus ſtatis intervallis ambulaverint, ac piè, & fideliter in miniſteriis anteactis ſe geſſerint, ad Sacerdotium aſſumi, Sacraſque ordinationes juxta priſcum Eccleſiæ morem præſcriptis à jure temporibus, orationi, & jejunio conſecratis, haberi cupientes, ſeveriorem quandam in concedendis indultis ſuſcipiendi Sac. Ord. extra tempora hujuſmodi, & interſtitiis ad id deſignatis minimè ſervatis, ultrò nobis propoſuimus adhibendam rationem; qua videlicèt ſervata, ante meritum laboris, ante tempus examinis, ante experientiam diſciplinæ, Sacerdotalis honor non probatis minimè tribuatur, nec unquam heri Sagrilegi, hodiè Sacerdotes, heri prophani, hodiè Sacrorum Antiſtites, veteres vitio, virtute rudes, & recentes, diſcipuli ſimul, ac Magiſtri pietatis creentur, ſed ii tantùm juxta conſtitutas à Majoribus leges, ab humili gradu fidelis populi, ad Sacrarum adminiſtrationum ſu-

bli-

blimitatem promoveantur, qui poſt mutatum habitum ſæcularem, diuturna conversatione inter Clericos fuerint comprobati, ac multo tempore didicerint, quæ poſtmodum alios docere tenentur; ceterum per ea ipſa indulta, quæ ſuper præmiſſis parcius quidem, ac ex certis tantùm, & magis rationabilibus cauſis concedere decrevimus, contraria quavis illorum interpretatione penitùs improbata, ſalutem illam, quam Sac. Generalis Trid. Conc. decreto de non ordinandis ad Patrimonii titulum, niſi illis, quos Epiſcopi pro neceſſitate, vel commoditate ſuarum Eccleſiarum aſſumendos judicaverint, præſcribunt diſciplinam, nequaquàm relaxatam intelligi: quinimò, nec unquam ad indulta hujuſmodi exequenda Epiſcopos ipſos arctare, ſed illorum executionem arbitrio ſemper eorumdem Epiſcoporum, quorum conſcientias hac in re ſtrictiſſimè oneratas voluimus, prorſus relinquere declaravimus; Sperantes in domino, eos, qui juxta Apoſtoli monitum, nemini citò manus imponendas eſſe probè norunt; ſibi, & univerſo gregi attendentes, in quo eos poſuit Spiritus Sanctus regere Eccleſiam Dei, reverenda ipſis Spiritibus Angelicis miniſteria ab hominibus ſine

conſideratione apprehendi nunquam permiſſuros, nec temerè præripi paſſuros, quæ vita probata dumtaxat accipere promeretur. Omnes inſuper, & ſingulos, cujuſcumque tandem gradus, ordinis, & dignitatis fuerint, quibus ex hujus S. Sedis gratia Ordines præfatos extra eadem tempora conferendi, vel aliis, ut illos ſic conferre valeant, indulgendi poteſtas fieri conſuevit, cum Divinos Ordines largiri diſtricti ſemper eſſe judicii oporteat, ſeriò monitos voluimus, ut præſcriptos ſibi deſuper in ſuis quique facultatibus terminos religiosè cuſtodiant, nec eos cujusvis conſuetudinis, aut exempli prætextu ullatenùs tranſgrediantur.

Verùm quò impenſiùs Apoſtolicæ gubernationis curam, & cogitationes in hæc interdicimus, eo majori cum animi noſtri dolore, ex qua plurium Venerabilium Fratrum noſtrorum Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in diverſis regionibus exiſtentium delatis ad nos querelis accepimus, graviora quotidiè malignari inimicum in Sancto, Sacrilega ſcilicet illorum impudentia in dies creſcente, qui propriæ ſalutis immemores, Clericales Ordines, ſibi forſan à propriis Præſulibus denegatos, ſeu quos, aliquibus canonicis ſibi obſtantibus

im-

impedimentis, denegari meritò verentur, ab alienis Epiſcopis, non quæ Jeſu Chriſti, ſed eas quæ ad ipſos non pertinent oves, in animarum ſuarum perniciem quærentibus, nec tot canonicas damnationes contra uſurpantes alienæ plebis homines latas perhorreſcentibus, abſque ſuorum Prælatorum commeatu, hoc eſt dimiſſoriis, commendatitiiſque eorum literis deſtituti, quinimmò eis inſciis, & ſepè etiam invitis, ſub minus legitimis Beneficii Eccleſiaſtici, originis, domicilii, ſeu etiam familiaritatis, ac continuæ ordinantium Epiſcoporum commenſalitatis quæſitis titulis, in Sacrarum legum fraudem, & contemptum, illegitimè ſuſcipiunt, atque ita non intrantes per oſtium, & nihilominus tabernaculum Domini cum macula inhabitare non dubitantes Sacrificium in Sacrilegium convertunt, judicium abſque miſericordia ſibi conſciſcunt, Deoque minimè placentes, & tamen placare velle præſumentes, non modò eum non placant, ſed magis irritant, dum videntur in codibus ſuis dicere; non requiret.

Hinc eſt quod nos ex commiſſo nobis divinitùs Apoſtolicæ ſervitutis munere, abuſus, fraudes, ac ſcandala hujuſmodi penitùs, & omninò é medio tollere, ac ir-

religioſam contrafacientium audaciam, quantùm nobis ex alto conceditur, compeſcere, & reprimere volentes, nec non fel. rec. Urbani VIII. contra malè ordinantes, & malè ordinatos, quæ incipit: *Secretis*; aliorumque Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum, ac etiam conciliaribus hac in re editis Conſtitutionibus, & ordinationibus inhærentes, illaſque, quo ad ea, quæ præſentibus non adverſantur, quatenùs opus ſit, innovantes; de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Card. ejuſdem Conc. Trid. interpretum, qui quæcunque ante hac ſuper præmiſſis ab ipſorum Cardinalium Congregatione in particularibus caſibus edita decreta, declarationes, ſeu reſponſa ad earundem præſentium limites reducenda eſſe cenſuerunt, conſilio, ac etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ad Omnipotentis Dei gloriam, Eccleſiæ utilitatem, veteris diſciplinæ inſtaurationem, totiuſque Chriſtiani pópuli ædificationem; Hac generali noſtra, & perpetuò valitura conſtitutione decernimus, & declaramus, nulli Epiſcopo, ſeu cujuſvis loci Ordinario, tametſi Cardinalatùs honore fulgeat, licere

cere exterum quempiam, ac ſibi ratione Originis, ſeu Domicilii, juxta modum inferius declarandum, legitimè contracti non ſubditum, ad Clericalem Tonſuram promovere, cujuſvis Beneficii Eccleſiaſtici, ei ſtatim, ac Tonſura hujuſmodi inſignitus fuerit, conferendi, ſeu ad quod is à patronis jam præſentatus, ſeu nominatus fuerit prætextu, etiam ſi Beneficium prædictum de novo, ea expreſſè adiecta lege fundatum fuiſſe conſtiterit, ut quis immediatè poſt Clericalem characterem ſuſceptum, ad illud inſtituatur; Præterea Clericum, qui legitimè jam à proprio Epiſcopo ad eandem Clericalem Tonſuram, ſeu etiam ad Minores Ordines promotus fuerit, non poſſe ab alio Epiſcopo ratione, ac titulo cujuſcumque Beneficii in illius Diæceſi obtenti, ad ulteriores Ordines promoveri, niſi ante eorundem ſuſceptionem teſtimoniales literas proprii Epiſcopi, tàm originis, quàm domicilii, ſuper ſuis natalibus, ætate, moribus, & vita ſibi concedi obtinuerit, eaſque Epiſcopo ordinanti in actis illius curiæ conſervandas exhibuerit.

Licet verò Clericus ratione cujuſvis Beneficii in aliena Diæceſis obtenti ſubiici dicatur juriſdictioni illius Epiſco-

pi, in cujus Diæceſi Beneficium hujuſmodi ſitum eſt, ea tamen de cætero hac in re inconcuſsè ſervari volumus regulam, ut nemo ejuſmodi ſubjectionem, ad effectum ſuſcipiendi ordines acquirere cenſeatur, niſi Beneficium prædictum, ejus ſit redditus, ut ad congruam vitæ ſuſtentationem, ſive juxta taxam Synodalem, ſive, ea deficiente, juxta morem regionis pro promovendis ad Sacros Ordines, *detractis oneribus*, per ſe ſufficiant, illudque ab ordinando pacificè poſſideatur, ſublata quacumque facultate ſupplendi, quod defecerit fructibus ejuſdem Beneficii cum adiectione Patrimonii, etiam pinguis, quod ipſe ordinandus in eadem, ſeu alia quavis Diæceſi obtineret, ac Epiſcopus ſic ordinans, tàm de prædictis Teſtimonialibus Literls, quàm de redditu Beneficii hujuſmodi expreſſam in conſueta collatorum Ordinum atteſtatione, mentionem facere debebit.

Cæterum Subditus ratione originis, is tantùm ſit, ac eſſe intelligatur, qui naturaliter ortus eſt in ea diæceſi, in qua ad ordines promoveri deſiderat, dummodò tamen ibi natus non fuerit ex accidenti, occaſione nimirùm itineris, officii, Legationis, Mercaturæ, vel cujuſvis alterius

tem-

temporalis moræ, ſeu permanentiæ ejus Patris in illo loco, quo caſu, nullatenùs ejuſmodi fortuita nativitas, ſed vera tantùm, & naturalis Patris Origo, erit attendenda. Quod ſi quis tanto temporis ſpatio in eo loco, in quo ex accidenti, ſicut præmittitur, natus eſt, moram traxerit, ut potuerit ibidem canonico aliquo impedimento irretiri, tunc etiam ab Ordinario ejus loci, literas Teſtimoniales, ut ſupra obtinere, illaſque Epiſcopo Ordinanti, per eum, in collatorum Ordinum teſtimonio, ſimiliter recenſendas præſentare teneatur.

Atſi Pater in alieno loco, ubi ejus filius natus eſt, tamdiù, ac eo animo permanſerit, ut inibi verè Domicilium de jure contraxerit, tunc non origo Patris, ſed Domicilium per Patrem legitimè, ut præfertur, contractum pro ordinatione ejuſdem filii attendi debeat.

Subditus autem ratione Domicilii, ad effectum ſuſcipiendi Ordines, is duntaxat cenſeatur, qui licet alibi natus fuerit, illud tamen, adeo ſtabiliter conſtituerit in aliquo loco, ut vel per decennium ſaltèm in eo habitando, vel majorem rerum, ac bonorum ſuorum partem, cum inſtructis ædibus in locum hujuſmodi transferendo, ibique inſuper per aliquod conſiderabile tempus

com-

commorando, ſatis ſuperque ſuum perpetuò ibidem permanendi animum demonſtraverit, & nihilominus ulteriùs, in utroque caſu, ſe verè, & realiter animum hujuſmodi habere, jure jurando affirmet: Si quis autem à propriæ Originis loco, in ea ætate diſceſſerit, quà potuerit alicui Canonico impedimento obnoxius effici, etiam Ordinarii ſuæ Originis Teſtimoniales Literas, ut ſupra afferre debebit, ac de illis expreſſà ſimiliter mentio in ſuſceptorum Ordinum literis facienda erit.

Ad hæc nullus Epiſcopus alienæ Diæceſis ſubditum familiarem ſuum ad aliquos ſacros, ſeu Minores Ordines, vel etiàm primam Tonſuram promovere, ſeu ordinare præſumat, abſque ejus proprii, originis ſcilicet, ſeù Domicilii Prælati Teſtimonialibus literis, ut ſupra, & niſi ad præſcriptum Concilii Tridentini præfati, Familiarem prædictum, per integrum, & completum triennium in ſuo actuali ſervitio ſecum retinuerit, ac ſuis ſumptibus alverit: Beneficium inſuper, quod ei ad vitam ſuſtentandam, juxta modum ſuperius præfinitum, ſufficiat, quacumque fraude ceſſante, ſtatim, hoc eſt ſaltem intra terminum unius menſis à die factę Ordinationis, re ipſa illi conferat, ac in Ordinationis hu-

ju-

juſmodi teſtimonio expreſſam itidem familiaritatis, ac literarum prædictarum mentionem facere teneatur.

Porrò ut quibuſcumque fraudibus aditus omninò præcludatur, volumus & Apoſtolica auctoritate ſtatuimus, atque decernimus, ut Epiſcopus quilibet, ſuos ratione originis, ſeu Domicilii ſubditos Clericos quoſcumque, ab alienis Epiſcopis, quavis auctoritate, etiam cum ſuis commendatitiis literis promotos, nedum ad formam Concilii Trid. ſupradicti, quo ad ſcientiam examinare valeat; verùm etiam Ordinum eis collatorum teſtimoniales literas, gratis tamen recognoſcere, ac diligenter perquirere, an quo ad illos præſentis Conſtitutionis forma, & diſpoſitio adimpleta fuerit, aſſignato ſic promotis termino competenti ei magis benè viſo, ad docendum de ejuſmodi adimplemento, ita ut quos, eo termino elapſo, id minimè præſtitiſſe compererit, a Suſceptorum Ordinum Exercitio, ſi ita, & quandiù ei expedire videbitur ſuſpendere, illiſque, ne in Altari, aut in aliquo Ordine miniſtrent interdicere poſſit.

Ita verò præmiſſa omnia, & ſingula perpetuò, ac inviolabiliter obſervari atque adimpleri volumus, ut ſi quid in iiſdem præmiſſis, ſeu eorum aliquo ſecus fiat,

Or-

Ordinans quidem à collatione Ordinum per annum, Ordinatus verò a ſuſceptorum Ordinum executione ; quandiù proprio Ordinario videbitur expedire, eo ipſo ſuſpenſus ſit, aliiſque inſuper gravioribus pœnis, pro modo culpæ, noſtro & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis arbitrio infligendis uterque ſubjaceat.

*( & ſequuntur decreta roborantia, derogatoria contrariis, ac irrogatio pœnarum contra transgreſſores. )*

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem 4. Novembris 1694.

*Collect. Bullar. d. Pontif. pag.* 179.

B. Card. Prodatarius.

S. F. Card. Albanus.

*Viſa de Curia J. Sacripantes.*

D. Ciampinus.

Loco ✠ Plumbi.

CON-

Digitized by Google

# CONSTITUTIO
# ALEXANDRI VII.

## De Promovendis ad Ordines in Urbe, & ſex vicinis Epiſcopatibus.

### ALEXANDER PAPA VII.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

APoſtolica ſollecitudo humilitati noſtræ divinitus impoſita, Nos admonet, ut circa illos, qui in Alma Urbe noſtra, ex qua in omnes Chriſtiani Orbis partes bonorum operum exempla ubertim promanant, viciniſque Epiſcopatibus, Sacris addicuntur miniſteriis, & in Hierarchicum Eccleſiæ cætum cooptantur, ea ſalubriter conſtituamus, quæ matura conſultatione adhibita, in Omnipotentis Dei gloriam, & animarum ſalutem cedere, & ceſſura eſſe arbitramur. Motu itaque proprio, & ex certa ſcientia, & matura deliberatione, noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, tenore præſentium, ſtatuimus, mandamus, & Ordinamus, ut quicumque in eadem Urbe ratio-

tione originis, vel Beneficii Eccleſiaſtici, aut Domicilii, vel cum literis dimiſſorialibus proprii Ordinarii, ad Minores, vel Sacros Ordines promoveri volent, per Menſem ante Generales Ordinationes, Dilectum filium Noſtrum, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis in dicta Urbe Vicarium in Spiritualibus Generalem adeant, & de ipſius mandato ab Examinatoribus ad hoc deputatis, non paucioribus, quàm tribus, ac ſimul congregatis, ſuper ſcientia ad unumquemque Ordinem requiſita ſedulò examinentur, & peracto examine renuncientur quotcunque ab his idonei judicati fuerint. Deinde ad Minores quidem Ordines promovendi bonum a Paroco, & Magiſtro Scholæ, in qua educantur teſtimonium habeant, de quo publicum eidem Vicario exhibeant documentum. Pro iis verò, qui ad ſingulos majores Ordines erunt aſſumendi, idem Vicarius, Parocho, aut alteri, cui magis expedire videbitur committat, ut nominibus, ac deſiderio eorum, qui volent promoveri, publicè in Baſilica Lateranenſi, & in propria cujuſque Parocchiali Eccleſia propoſitis, de ipſorum Ordinandorum natalibus, genere, ætate, moribus, & vita, Ordinibus ante ſuſceptis,

tis,

tis, titulis, ad quos promoti ſunt, vel promoveri cupiunt, ceteriſqne qualitatibus requiſitis, juxta Sacrorum Canonum, & Concilii Trid. Diſpoſitionem a fide dignis diligenter inquirat, & literas Teſtimoniales, ipſam inquiſitionem factam continentes ad ipſum Vicarium quamprimum tranſmittat, & nihilominus quoties aliquem ex Sacris Ordinibus ſuſcipere voluerint, ad Sacerdotes in id deputatos perſonaliter ſe conferant, à quibus decem ſaltem dierum ſpatio ante ordinationem in eorum Domo incluſi de omnibus ad dignè ſuſcipiendos, & ritè exercendos Ordines requiſitis erudiantur, & de hoc Teſtimoniales eorumdem Sacerdotum ad ipſum Vicarium deferant, nec ſine hujuſmodi literis quiſquam ad ullum Sacrum Ordinem promoveatur, nec cum aliquo ſuper examine, & incluſione hujuſmodi diſpenſari poſſit, niſi conſultis Nobis, ſeu Romano Pontifice pro tempore exiſtente.

Denique in ſex Epiſcopatibus propè Urbem, in quibus non ſunt ſuffraganei, quicumque ad Minores, vel Sacros Ordines volent promoveri, cum literis Dimiſſoriis ſui Ordinarii, ad memoratum Vicarium, & non ad alium Antiſtitem directis, ad Urbem accedant, ibique, & non

ali-

alibi ordinentur, ſervata in omnibus forma ſuperius præſcripta. Ubi verò ſunt Suffraganei, nemo ad aliquem ex majoribus ordinibus aſſumatur, niſi prius, præter ea, quæ a Sacris Canonibus, & ejuſdem Concilii decretis ſancita ſunt, ad minus per decem dies a dictis Sacerdotibus in Urbe deputatis, in eorum ædibus incluſus, ut ſupra fuerit educatus, ac literas Teſtimoniales eorumdem Sacerdotum ad ipſum Suffraganeum detulerint. Suffraganeus autem, qui contra fecerit ab exercitio Pontificalium per annum, promoti verò, tàm ab eiſdem ſuffraganeis, quàm etiam in Urbe, non ſervata forma præſentis Conſtitutionis, ab executione ordinum ſic ſuſceptorum, donec Nobis, & ſucceſſoribus Noſtris Romanis Pontificibus viſum fuerit, ipſo jure ſint ſuſpenſi.

Decernentes, eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos ſpectat, & quandocunque ſpectabit, inviolabiliter obſervari, ſicque, & non aliter per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de

late-

latere Legatos, & alios quoslibet, quavis auctoritate præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtant. Apoſtolicis, ac in univerſalibus, Provincialibuſque, ac Synodalibus Conciliis æditis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Ut autem præſentes literæ ad omnium notitiam facilius devenire poſſint, volumus, ut illæ, ſeu earum exempla ad valvas præfatæ Lateranenſis, ac Principis Apoſtolorum de Urbe Baſilicarum, & Cancellariæ Apoſtolicæ, necnon in Acie Campi Floræ, ut moris eſt publicentnr, & affigantur, ſicque publicatæ, & affixæ, omnes, & ſingulos. quos illæ concernunt proindè arctent, & afficiant, ac ſi unicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent; Utque earundem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorsùs fides in

judicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die ſeptima Auguſti 1662. Pontificatus Noſtri Anno Octavo.

# CONSTITUTIO
# URBANI VIII.

## Contra malè ad Sacros, vel Minores Ordines, ſeu Clericalem Characterem Ordinantes, & malè Ordinatos.

## URBANUS PAPA VIII.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

SEcretis æternæ providentiæ conſiliis, nullo noſtrorum ſuffragio meritorum, ſpeculatores Domus Iſrael, in ſublimi Apoſtolatùs culmine conſtituti, eo potiſſimùm Pontificiæ ſedulitatis officia convertenda eſſe arbitramur, ut qui in ſortem Domini vocantur, Chriſtique militiæ dant nomen, Spiritualem Eccleſiæ tranquillitatem, non perturbent, ſed pacem confirment, vires augeant, ac tàm ſtrenuè ſe gerant, ut ipſam terribilem, quaſi caſtrorum aciem ordinatam, Inferæ Poteſtates, ac Principes Tenebrarum quotidiè magis perhorreſcant.

Hæc autem quantò impenſiùs fieri op-

tamus, tantò majori indignatione, irreligioſam quorumdam impudentiam deteſtamur, ac Sacrilegam temeritatem execramur, qui Sacros Canones Summorumque Pontificum Decreta non verentes, Clericales ordines illegitimè ſuſcipiunt, ac dum in Eccleſiaſticorum Miniſtrorum cætum per nefas irrepunt, Dei cultui, animarum ſaluti, omnibuſque ad optimum Chriſtianæ Reipublicæ regimen pertinentibus plurimum obeſſe noſcuntur.

Alias ſiquidem fel. rec. Clemens PP. IV. Prædeceſſor noſter, volens periculis animarum eorum obviare, qui vinculo excommunicationis adſtricti, Apoſtatæ, ſeu irregulares, vel alias ordinum Sacrorum ſuſceptione indigni, ſuam Patriam, in quà de his haberetur notitia, fugientes, ſe in remotis partibus faciebant ad hujuſmodi Ordines promoveri; ſtatuit, ut nullus Epiſcoporum Italiæ, de cætero aliquem Ultramontanum Clericum ordinare præſumeret, niſi ab eodem Clemente Prædeceſſore, vel ab Epiſcopo, de cujus Diæceſi traxerat Originem Ordinandus, vel in cujus Diæceſi Beneficiatus exiſtebat, per ejus patentes literas, cauſam rationanabilem continentes, quare ipſum nolebat, aut nequibat ordinare, ſpecialem licen-

cen-

centiam haberet; Eos verò, quos contra præmiſſa contigiſſet ordinari, manere voluit abſque ſpe diſpenſationis, ſuper hoc à Sede Apoſtolica obtinenda, ſuſpenſos, ac Ordinantes condigna pœna puniri.

Cum autem, non ſine gravi animi Noſtri moleſtia, Nobis innotuerit, quamplures Ultramontanos ſuæ ſalutis immemores, Deique timore poſtpoſito, ad ordines prædictos, dimiſſorialibus literis, ſeu etiam cum Titulo Patrimonii ficto, vel fiduciario, ſeu etiam falſo, cum maximo bonorum omnium ſcandalo, ſe promoveri feciſſe; Nos innumeris, quæ ex minus canonica Clericorum Ordinatione hujuſmodi proveniunt malis, quantum Nobis ex alto conceditur, providere volentes, prædictam Clementis Prædeceſſoris Noſtri Conſtitutionem, cum omnibus, & ſingulis in ea contentis approbantes, & innovantes, motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione, Noſtris deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, in Italia Exiſtentibus, tenore præſentium prohibemus, ne quovis prætextu & ex quacunque cauſa, Hiſpanos, Luſitanos, Gallos, vel Germanos, alioſque quoſcunque Ultramontanos,

B 3 & ex

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

& ex quibuſvis locis extra Italiam oriundis, non ſolùm ad Sacros, ſed neque etiam ad Minores Ordines, vel Clericalem Characterem promovere audeant, ſeù præſumant, niſi dimiſſoriales ſuorum Ordinariorum literas a Noſtris, & hujus Sanctæ Sedis Nuntiis, ſeu Collectoribus in illis partibus commorantibus, recognitas, probatas, & ſubſcriptas habeant, eorumdemve Nuntiorum, ſeu Collectorum Subſcriptiones, à dilecto filio Noſtro in Alma Urbe Vicario in Spiritualibus Generali, ſimiliter, examinatæ, recognitæ, & approbatæ fuerint, alias promoventes ad annum ab exercitio Pontificalium, promoti verò perpetuæ ſuſpenſionis pœnam, abſque ſpe diſpenſationis, a Sede Apoſtolica obtinendæ, incurrant eo ipſo; Inſuper promotos hujuſmodi, ac etiam eos, qui cum falſis, vel fictis, aut etiam fiduciariis Patrimonii Titulis, ſcienter ſe ad ordines hujuſmodi promoveri fecerint, non ſolùm prædictis, verùm etiam majoribus arbitrio noſtro, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis infligendis pœnis.

Italos verò, ſi quos inpoſterùm Clericali Charactere inſigniri, vel ad minores Ordines promoveri ab alieno Epiſcopo, cum falſis Dimiſſoriis contigerit, etiam ſi

qua-

qualitatibus per Concilii Trid. Decretum *cap.* 16. *Seſſ.* 23. requiſitis præditi ſint ; Nihilominus, ſecuta tamen prius deſuper Judicis Eccleſiaſtici declaratione, fori privilegio, minimè gaudere, ſed Sæculari juriſdictioni, ut anteà plenè in omnibus ſubjacere, & ſubjectos eſſe reſpectivè volumus.

Sicque, non aliter per quoſcumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi secùs ſuper his a quoquam, quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque.

Per præſentes autem, Conſtitutioni Rec. Mem. Pii Papæ II. Prædeceſſoris Noſtri contra malè promotos æditæ, nullatenùs derogare intendimus, ſed illam cum omnibus, & ſingulis in ea contentis in ſuo robore, & efficacia permanere, perinde ac ſi præſentes non emanaſſent decernimus.

Ut autem præſentes Literæ ad omnium notitiam faciliùs devenire poſſint, volu-

mus, quòd illæ, ſive earum exempla in valvis Baſilicarum S. Joannis Lateranenſis, ac Principis Apoſtolorum de Urbe, & Cancellariæ Apoſtolicæ, necnon in Acie Campi Floræ, ut moris eſt affixæ, omnes, & ſingulos, quos illæ concernunt proindè arctent, & afficiant, ac ſi unicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent.

Quodque earumdem tranſumptis, etiam manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & Sigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorsùs fides in Judicio, & extra illud ubique adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die xi. Novembris 1624. Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

CON-

Digitized by Google

# CONSTITUZIO
# PII II.

## Contra Clericos, ad Sacros Ordines malè promotos.

### PIUS EPISCOPUS

*Servus Servorum dei. Ad futuram rei memoriam.*

CUm ex Sacrorum Ordinum collatione, Character inviſibilis animæ imprimatur, Sacra myſteria diſpenſentur, & ipſarum cura tribuatur animarum; in eorum ſuſceptione, exceſſus graves, tantò magis plectendi ſunt, quantò ex illis majora in mentibus fidelium Scandala generantur.

Cum itaque (ſicut dignorum relatione, non niſi moleſtè accepimus) nonnulli Clerici extra tempora a jure ſtatuta; quidam ante ætatem legitimam; aliqui verò ſine dimiſſoriis litteris, contra Sanctiones Canonicas, ſe faciunt ad Sacros Ordines promoveri.

Nos eorundem temeritatem, tali caſtigatione reprimentes, ut aliis in poſterum com-

committendi ſimilia aditus præcludatur; Auctoritate Apoſtolica, hac Conſtitutione perpetuò valitura, ſtatuimus & ordinamus, quod omnes, & ſinguli, qui abſque diſpenſatione canonica, aut legitima licentia, ſive extra tempora a jure ſtatuta, ſive ante ætatem legitimam, vel abſque dimiſſoriis literis, etiam citramontanis (præterquàm ſi in hoc ultimo caſu, per Cameram Apoſtolicam, juxta illius ſtylum Ordinati fuerint) ad aliquem ex Sacris Ordinibus ſe fecerint promoveri, a ſuorum Ordinum executione, ipſo jure ſuſpenſi ſint; & ſi hujuſmodi ſuſpenſione durante, in eiſdem Ordinibus miniſtrare præſumpſerint; eo ipſo irregularitatem incurrant. Præterea ultrà alias pœnas, in tales generaliter a jure inflictas, Beneficiis Eccleſiaſticis poſſint jure privari.

Volumus autem, quod præſens noſtra Conſtitutio, in Romana Curia exiſtentes, poſt quindecim dies; abſentes verò Italos, poſt duos Menſes; alios verò ultramontanos, poſt ſex Menſes, ab ipſius in audientia contradictarum, & Cancellaria Apoſtolica, publicatione, & affixione, ligare incipiat. Nulli ergo &c.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno ab Incarnatione Dominica milleſimo qua-

trin-

tringenteſimo Sexageſimo primo, quintodecimo Cal. Decem. Pontificatus Noſtri anno IV.

*Vltra præmemoratas Conſtitutiones, contra Clericos malè, aut ſimoniacè promotos, & Epiſcopos, & alios in Ordinum collatione peccantes, extat etiam Conſtitutio S.M. Sixti Quinti, quæ incipit* SANCTUM. *Sed hæc ad terminos Sacrorum Canonum, & ſupradictæ Conſtitutionis Pii II. ac Sac. Concilii Tridentini (preterquàm ad Simoniacè promotos, & promoventes) reducta fuit à S. M. Clemente VIII. in ejus Conſtitutione 40. quæ incipit* ROMANVM, *Ædita nonis Januarii* 1588.

# NOTIFICAZIONE.

## Per gli Ordinandi.

*Fr: Gio: Antonio del Titolo de SS. Silveſtro, e Martino à Monti della Santa Romana Chieſa Prete Cardinal Guadagni della Santità di Noſtro Signore Vicario Generale &c.*

LA Santità di Noſtro Signore, tutta intenta a dare qualche efficace riparo à quello ſcadimento della Diſciplina Ecleſiaſtica, che pur troppo ſi vede, e ſi deplora dalle Perſone Sagre, e Zelanti dell'onore di Dio; doppo aver comandato di publicare un' Editto, che concerne la vita, ed oneſtà de Chierici, che per lo più riſguarda le perſone già incaminate, ed avanzate nelle Sagre Ordinazioni, hà ſtimato affatto neceſſario di applicare l' animo, e mettere la mano alla riforma, e coltura de Chierici novelli; e perciò hà ſtabilito, che nella Caſa della Miſſione, poſta à Monte Citorio, ſi apra una Congregazione, per bene iſtruire quelli, che vogliono eſſere Chierici, e che ricevuto il Chiericato, vogliono aſcendere agli altri Ordini.

Sa-

Sarà queſta Congregazione diviſa in due Claſſe: in una Claſſe ſaranno annoverati quelli, che vogliono la prima Tonſura, quelli, che l'anno, e quelli, che vogliono gli Ordini Minori; Nella ſeconda quelli, che ricevuti gli Ordini Minori, vogliono aſcendere al Suddiaconato, gli altri, che dal Suddiaconato vogliono aſcendere al Diaconato, e finalmente gli altri, che dal Diaconato vogliono aſcendere al Sacerdozio. Si terrà queſta Congregazione ogni Domenica a Mattina, incominciarà nella prima Domenica del proſſimo Meſe di Gennaro, ad ore quindici in punto, quale ora ſi andarà mutando, mutandoſi la ſtaggione. All'una, ed all'altra Claſſe ſaranno date da i Direttori le opportune Iſtruzzioni. Chi dunque in avvenire vorrà in Roma ricevere la prima Tonſura, dovrà aver frequentata la Congregazione due Meſi continui; Chi dalla prima Tonſura, vorrà paſſare al primo Ordine Minore, dovrà aver frequentata la Congregazione ſei Meſi, e dovrà proſeguire a frequentare ſino, che averà ricevuto l'ultimo Ordine Minore: Chi vorrà aſcendere al Suddiaconato, dovrà frequentare per un'anno doppo ricevuto l'ultimo Ordine Minore, un'altro dop-

po

po il Suddiaconato, ſe vorrà aſcendere al Diaconato, ed un' altr' anno doppo il Diaconato, ſe vorrà paſſare al Sacerdozio. A queſta Legge, come ſi è detto, ſono ſottopoſti tutti quelli, che vogliono Ordinarſi in Roma, e che ſono obligati Ordinarſi in Roma, e da eſſa non reſtano eſentati, ſe non quelli, che per raggione dal Beneficio ſono addetti al ſervizio di qualche Chieſa, e ſappiano tanto queſti, quanto tutti gl' altri ſopra nominati, che per l' intereſſenza alla Congregazione, non s' intende tolto di mezzo il lodevole coſtume, in fino ad ora praticato, che chi vuole aſcendere al Suddiaconato ſtia ſei Meſi prima nella Miſſione, e che prima di ricevere qualſiſia degli Ordini Sagri faccia, richiuſo nel detto luogo, gli Eſercizj Spirituali.

E finalmente vuole anche la Santità Sua, che chi in avvenire vorrà Ordinarſi Suddiacono, debba avere il requiſito dello ſtudio, o di Teologia Morale, o di Teologia Scolaſtica, o di Jus Canonico di tre anni, da premetterſi al Sacerdozio, il primo avanti lo ſteſſo Suddiaconato, il ſecondo avanti di aſcendere al Diaconato, ed il terzo avanti di ricevere il Sacerdozio, avertendo i medeſimi Ordinandi,

che

che oltre l'atteſtato, che dovranno eſibire dello ſtudio fatto, ſaranno anche rigoroſamente eſaminati ſopra le dette ſcienze, e non ritrovandoſi in eſſe ben fondati; ſaranno dagli Eſaminatori rigettati. Dato in Roma dalla Noſtra ſolita Reſidenza li 2. Decembre 1740.

F. G. A. Card. Vic.

*G. Ori Segretario.*

EDI-

# EDICTUM

## Ne Clerici nunc, & in futurum in Urbe commorantes, extra eamdem Urbem ad Minores, vel Sacros Ordines promoveri ſe faciant.

*Fr. Joannes Antonius Tit. S. Martini in Montibus S. R. E. Preſbyter Card. Guadagni SS. D. N. Papæ Vicarius Generalis, Romanæque Curiæ ejuſque Diſtrictus Judex Ordinarius &c.*

CUm inter Clericos alienigenas, in hac Alma Urbe degentes, abuſus irrepſerit, ut ad declinandas providas Ordinationes à SS. D. N. BENEDICTO XIV. pro promovendis in Urbe, nuperrimè præſcriptas, poſthabitis Sanctionibus S. M. Clementis VIII. & Alexandri VII. ſub diebus 24. Novembris 1603. & 15. Maii 1664. una cum declarationibus particularis congregationis de anno 1668. deſuper reſpectivè editis, nullo præmiſſo examine coram Examinatoribus in Urbe deputatis, nullaque à Nobis reportata licentia, ad Minores, & Sacros, etiam Presbyte-

ratùs

Digitized by Google

ratùs Ordines, ſub obtentu dimiſſorialium ſuorum Ordinariorum, extra Romanam Curiam promoveri inhiantes, propriam conſcientiam cenſuris, & pœnis per memorata decreta latis illaqueare non vereantur; Hinc ad occurrendum fraudibus ejuſmodi, de mandato Sanctitatis Suæ, vivæ vocis oraculo Nobis facto, præfata decreta, atque declarationes innovantes; Univerſis, & ſingulis Clericis, qui in hac Alma Urbe, ultra quatuor Menſes, quacunque ex cauſa, nunc, & in futurum pro tempore commorati fuerint, diſtrictè præcipimus, & mandamus, ne de cætero extra eamdem Urbem, etiam vigore literarum Dimiſſorialium ſuorum ordinariorum, vel cujuſvis alterius facultatis ad dictos Ordines aſcendere præſumant, niſi præviè ab examinatoribus præfatis, idonei reperti, & approbati, licentiam in Scriptis, a Nobis obtinuerint. Quod ſi ſecùs fiat, nedum Epiſcopi promoventes ab uſu Pontificalium ad annum, ſe noverint interdictos, ſed & ſic promoti ab ordinum executione, eo ipſo ſuſpenſi ſint, & exiſtant, donec a S. Sede Apoſtolica abſolutionis, & habilitationis gratiam impetraverint. Licet autem per præmiſſa non interdicatur Clericis, ab Urbe ad proprium

Ordinarium remeantibus, ab ipſomet ordines ſuſcipere; Qui tamen a prædictis Examinatoribus Urbis, ſemel fuerint reprobati, ſe ſub eadem lege comprehenſos, etiam relatè ad proprium Ordinarium noverint, & intelligant. Et ne præmiſſorum ignorantiam quomodolibet allegare queant, volumus, ut præſentes in conſuetis locis affixæ, ita quemlibet afficiant, ac ſi perſonaliter unicuique intimatæ fuiſſent, vel oſtenſæ. Datum Romæ ex ædibus Noſtris hac die 20. Martii 1743.

F. G. A. Card. Vic.

*G. Archip. Ori Segretario.*

EDIT-

# EDITTO

## Per l' aſſiſtenza de Chierici alla Dottrina Criſtiana, ed alle Congregazioni del Catechiſmo, con la nota delle Chieſe, nelle quali ſi fanno le dette Congregazioni, e delli giorni, ed ore aſſegnate.

*Proſpero del Titolo di S. Silveſtro in Capite, della S. R. C.* Prete *Cardinal Mareſoſchi, della Santità di Noſtro Signore Vicario Generale &c.*

AVendo la San. Mem. di Clemente XI. con Editto publicato per la Dottrina Criſtiana, e Catechiſmo, ſotto li 13. Settembre 1713. confermato dalla San. Mem. d' Innocenzo XIII. ſotto li 24. Ottobre 1721., e finalmente publicato, e confermato dalla Santità di Noſtro Signore Papa Benedetto XIII. li 29. Marzo 1726., non ſolo eſpreſſamente ordinato, che quelli, i quali deſiderano eſſer promoſſi alla prima Tonſura, Ordini Minori, e Sagri, debbano aſſiſtere, ed inſegnare la Dottrina Criſtiana nelle Chieſe della pro-

propria Parocchia, o in altra aſſegnatali; ma anche, ad effetto di eſſere meglio iſtruiti li ſuddetti Promovendi nel fare la Dottrina Criſtiana, ordinato alli medeſimi d' intervenire alle Congregazioni, dette del Catechiſmo, che ſi fanno nelle infraſcritte Chieſe, ripartite, o in altre, che ſi ripartiranno in diverſi Rioni di Roma, colla nota delle Parocchie anneſſe a ciaſcheduna delle dette Congregazioni, per maggior commodità di quelli, che devono aſſiſtervi.

La Santità Sua, di nuovo conferma il ſudetto Editto, in tutte le ſue parti, e per quel che riguarda la ſuddetta diſpoſizione, incarica premuroſamente alli Signori Deputati dell' Archiconfraternità della Dottrina Criſtiana di Roma, come anche alli RR. Curati d' invigilare, che li promovendi alla prima Tonſura, ordini Minori, e Sagri, non ſolo aſſiſtino alla Dottrina Criſtiana, come ſopra, ma anche alle Chieſe aſſegnate per le dette Congregazioni del Catechiſmo, affinche rendendoſi in queſte Congregazioni più idonei, poſſano con maggior profitto inſegnare la Dottrina Criſtiana, con avertirli, che in eſecuzione de replicati ordini di Noſtro Signore, non ſaranno ammeſſi agli Ordini

Mi-

Minori, e Sagri, nè tampoco alla prima Tonſura, ſenza la fede della frequenza alla Dottrina, Criſtiana, e Congregazione del Catechiſmo, come ſi è praticato ſin' ora. Dato in Roma queſto dì 27. Ottobre 1728.

P. Card. Vic.

*N. A. Can. Cuggiò Segret.*

# Le Chieſe, in cui ſi fanno le Congregazioni del Catechiſmo, ſono le ſeguenti.

I.

*S. Martinello al Monte della Pietà, per la Congregazione, il Lunedì ad ore ventidue, e mezza.*
S. Maria Grotta Pinta.
S. Angelo in Peſcaria.
S. Carlo a Catinari.
S. Catarina della Rota.
S. Giovanni in Ayna.
S. Maria in Campitelli.
S. Maria in Monticelli.
S. Maria del Pianto.

S. Maria in Publicolis .
S. Salvatore in Campo .
S. Salvatore in Unda .
S. Tomaſo a Cenci .
SS. Vincenzo , & Anaſtaſio alla Regola .
S. Venanzio .

## II.

*SS. Vincenzo , & Anaſtaſio a Trevi , il Martedì, ad ore ventidue , e mezza .*
SS. Vincenzo , ed Anaſtaſio a Trevi .
S. Andrea delle Fratte .
SS. Apoſtoli .
S. Marcello .
S. Maria a Trevi .
S. Maria in Via .
S. Maria in Vialata .
S. Nicola in Arcione .
S. Suſanna .
S. Agneſe fuori le Mura .

## III.

*S. Giacomo degl' Incurabili , il Mercoledì , ad ore ventidue , e mezza .*
S. Lorenzo in Lucina .
S Lucia della Tinta .
S. Ivo de Britanni .
S Maria in Poſterula .
S. Maria del Popolo .

S. Ni-

S. Nicola de Prefetti.
S. Lorenzo a prima Porta.

## IV.

*S. Tomaſo in* Parione *, il Giovedì, ad ore ventidue, e mezza.*

S. Tomaſo in Parione.
S. Appollinare.
S. Biagio a ſtrada Giulia.
SS. Celſo, e Giuliano.
S. Gio: de Fiorentini.
S. Lorenzo in Damaſo.
S. Nicola dell' Incoronati.
SS. Simone, e Giuda.
S. Simon Profeta.
S. Stefano in Peſcivola.
S. Maria della Pace.

## V.

*S.* P*antaleo alli Monti, il Venerdì, ad ore ventidue, e mezza.*

S. Gio: Laterano.
S. Franceſco di Paola.
S. Lorenzo a Monti.
S. Maria in Campo Carleo.
S. Maria in Coſmedin.
S. Martino a Monti.
S. Nicola in Carcere.
S. Praſſede.

S. Quirico.
S. Salvatore a Monti.
S. Lorenzo fuori le Mura.
S. Sebaſtiano fuori le Mura.
S. Paolo fuori le Mura.

## VI.

*S. Euſtachio, il Sabbato, ad ore ventidue, e mezza.*
S. Euſtachio.
S. Agoſtino.
S. Lucia de Ginnaſi.
S. Luigi de Franceſi.
S. Marco.
S. Maria in Aquiro.
S. Maria in Monterone.
S. Maria della Rotonda.
S. Maria Sopra Minerva.
S. Nicola a Ceſarini.
S. Salvatore delle Coppelle.
S. Stefano del Cacco.

## VII.

*S. Agata in Traſtevere, il Giovedì, ad ore ventidue, e mezza.*
S. Bartolomeo all' Iſola.
S. Benedetto in Piſcivola.
S. Cecilia.
S. Gio: della Malva.

S. Gri-

S. Griſogono.
S. Maria in Traſtevere.
S. Salvatore della Corte.
S. Salvatore a Ponte Rotto.

## VIII.

*S. Giacomo in Borgo, il Venerdi, ad ore ventidue, e mezza, e non facendoſi ivi, la Congregazione, s' intendino aſſegnati a S. Tomaſo in Parione.*

S. Giacomo in Borgo.
S. Maria Traſpontina.
S. Pietro in Vaticano.
S. Spirito in Saſſia.
S. Angelo alle Fornaci.
S. Franceſco a Monte Mario.
S. Lazzaro.



Digitized by Google

# CAPUT PRIMUM.

## Romani prima Tonſura initiandi, tenentur exhibere Teſtimonia.

I. **B***APTISMI*, ex quo initiandus ætatem ſeptem annorum habere conſtet. *cap. in ſingulis 77. diſtinct. cap. fin. de temporibus ordinat. in 6.* & debent eſſe completi: *Sac. Congr. Concil. in una Toletana, apud Fagnanum; in primam partem 3. lib. Decret.* cap. *ſuper inordinata, de Præben. n. 21.*

II. *CONFIRMATIONIS*, ex Tridentino *Seſſ. 23. cap. IV. de Refor.* = „ Non Confirmatus, ſi ſuſcipit primam Tonſuram, vel Ordines, „ tanquam malè promotus, non poteſt ad altiores Ordines aſcendere, nec Beneficia Eccleſiaſtica reci-

„ cipere, abſque ſedis Apoſtolicæ „ diſpenſatione. Sac. Congregatio „ Concil. 22. Septembris 1621.

III. *MATRIMONII* Parentũ, ut legitimi natales appareant. *cap. Is, qui, de Fil. Presbyt. in 6.* Fides enim Baptiſmi probat ætatem, non filiationem, ſeu legitimitatem natalium. *Rota Dec.388.n.13. & 14. p.13. & Dec.535. n.45. p. 14. & Dec. 779. n.1.p.18.rec.Card.de Luca, de Fideicom. Diſcurſu 193.n.10.* Quod ſi Parentes, vel alter eorum obierit, exhibere tenentur fidem obitûs, vigore Edicti S.M. Clementis XI. *Editi ſub die 17. Novembris 1719.*

IV. *PROPRII PAROCHI*, de frequentatione Doctrinæ Chriſtianæ, & Sacramentorum, nec non de vita, moribus, & converſatione. *cap. ut quis quis, de vita, & honeſtate Cleric.* ac etiam de frequenti aſſiſtentia Proceſſioni Sanctiſſimi Viatici,

jux-

juxta formam Edicti Sa. Me. Innocent.XII. ſub die 3. Februarii 1695. ac denique, quod Tonſurandus non ſit filius unicus, nam ſi talis ſit, de Stylo Secretariæ, non admittitur, ſine ſpeciali diſpenſatione Emi Dni, præſertim, ſi ſit Nobilis Familiæ, & ratio hujus eſt. Primo ne extinquantur Familiæ. Secundo, quia præſumitur, quod ulteriores Ordines ſuſcipiendi intentionem non habeat, ac proinde, quod contra mentem Conc. Trid. *Seſſ.23.cap.IV. de Refor.* hoc genus vitæ elegerit, non ut fidelem cultum Deo præſtet, ſed ut ſæcularem judicium effugiat.

V. *SUPERIORIS DOMUS MISSIONIS*, de frequenti aſſiſtentia, per duos Menſes continuos, Congregationi, de mandato Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ BENEDICTI XIV. inſtitutæ in dicta Domo, pro quolibet

bet die Dominico, ut ex Edicto, ſeu Notificatione *ſub die 2. Decembris 1740. ſupra relat.*

VI. *MAGISTRI SCHOLÆ, VEL STUDIORUM* ( ſi ſint ætate majores, ) ad præſcriptum Decretorum Sacr. Cong. Epiſc. & Sac. Cong. Concil. exque laudabili ſtylo Tribunalis Emi Domini Cardinalis Vicarii.

VII. *EXAMINIS*, ad formam Sac.Concil. Trid.*Seſſ. 23. cap.IV. de Refor.* nempe circa Rudimenta Fidei, & an legere, & ſcribere ſciant; nec non, an hoc genus vitæ, ut fidelem cultum Deo præſtent, non autem ſæcularis Judicii fugien., aliave fraude, eligere cupiant; Inſuper juxta diſpoſitionem ejuſdem Conc.Trid. *cap.VI. de Refor.* & Conc. Romani *Tit.VI. de ætate, & qualitate præficiendorum cap.1.& 2.* nemo prima Clericali Tonſura initiari debet, niſi

ne-

neceſſitas, aut utilitas Eccleſiæ requirat, cui Eccleſiæ, in ipſa Ordinatione adſcribi debet.

VIII. Natus ex Genitoribus Romanis extra Urbem ex accidenti, nempe occaſione itineris, legationis, aut mercaturæ, vel cujuſvis alterius temporalis moræ ejus Patris in loco, ſi tanto temporis ſpatio, in eo loco, in quo ex accidenti, ſicut præmittitur natus eſt, moras traxerit, ut potuerit ibidem Canonico aliquo impedimento irretiri, tunc etiam ab Ordinario ejus loci, literas teſtimoniales, ſuper ſuis natalibus, vita, & moribus obtinere, & in Secretaria Tribunalis, in collatorum Ordinum teſtimonio recenſendas præſentare tenetur. *Conſtitutio Innocen. XII. quæ incipit Speculatores* §. 8.

IX. *EXERCITIORUM SPIRITUALIUM* Teſtimonium, ad formam mandati Sa. Me. Clementis XI.

ſub

ſub die X. Octobris 1710.

X. *FREQUENTIÆ PRÆSTITÆ CONGREGATIONI CATECHISMI*. ex Edictis Sa. Me. Clementis XI. *ſub die* 13. *Septembris* 1713. Innocentii XIII. 24. *Octobris* 1721. ac denique Benedicti XIII. 27. *Octobris* 1728. pro diebus, & horis in eiſdem Edictis ſtatutis, ut in antecedenti fol. 38.

XI. *PATRIMONII*, ad formam mandati Sa. Me. Clementis XI. 25. *Februarii* 1718.

XII. Denique ætate majores, tenentur etiam exhibere Teſtimonium, quod ſint in ſtatu libero, & quod non ſint inquiſiti, & proceſſati in Tribunalibus Urbis.

Pro Exteris, qui ratione Beneficii, in Alma Urbe pacificè poſſeſſi, vel ratione Domicilii, in eadem legitimè contracti, volunt promoveri, vide *Cap. VIII. & cap. IX.*

AD-

# ADNOTATIONES.

## *NOTA PRIMO.*

IN recognitione fidei Baptiſmatis, Confirmationis, & Matrimonii Genitorum, maximè obſervandum, an eadem nomina, & cognomina concordent, & an in fide Baptiſmatis, & Confirmationis ſit idem nomen, & cognomen Baptizati, & Confirmati, alias hujuſmodi Fides, ſeu Atteſtationes, tanquam ſuſpectæ, non admittuntur, & ſi Parentes, vel alter eorum obierit, tunc etiam fides obitus, in forma valida exhibenda eſt, ad probandum, quod tonſurandus natus ſit conſtante Matrimonio; ex Edicto S. M. Clementi XI. 18. *Novembris* 1719. At in caſu, quo aliqua nominis, ſeu cognominis variatio reperiatur, pro correctione erroris, recurrendum eſt ad Emenentiſſimum, & Reverendiſſimum D. Cardinalem Vicarium, ſeu Illuſtriſſimum, & Reverendiſſimum D. Viceſgerentem, a quibus, conſtito prius errore, media Teſtium depoſitione, aliſque legitimis documentis, fieri ſolet ſequens Decretum: *Viſis Superioribus precibus, & cum narrata veritati conſentiant, ut ex Atteſtatione DD. N. N. Mandamus R. D. Paroco S. N.* *de*

*de Vrbe, in libro Baptizatorum corrigi particulam ſub die .... Menſis .... Anni ... nempe in locum Nominis, vel cognominis N. apponi N. & de partita ſic correcta, unam, vel plures fides in futurum extrahi poſſe decernimus. Datum, Romæ ex ædibus noſtris hac die &c.*

## N. Cardinalis Vicarius.

*N. N. Secretarius.*

Quod ſi prima Tonſura initiandus, ad probandam ætatem, fidem Baptiſmi non haberet, nec eam habere poſſet, & agatur de nato ex Parentibus catholicis, & fideliter inter hos converſato, præſumitur Baptizatus, & hæc ſola præſumptio habetur pro veritate, & certitudine ad Text. *in. c. veniens in fin. de Presbyt. non baptiz.* & ideo poſſet ordinari, dummodo cetera concurrerent, & non adeſſent probationes in contrarium, eum non fuiſſe baptizatum. Nicol. *in Floſc. Verb Dimiſs. n. 5.*

Et quod dicitur de fide Baptiſmi, idem tenendum de fide Confirmationis; nam ſi non conſtaret, quem fuiſſe confirmatum, ſufficit Juramentum confirmati, reminiſcentis, & aſſerentis, ſe hoc Sacramentum

receipiſſe, ſi aliter probari non poſſet. Nicol. *Lucubr. can. lib.* 1. *Tit.* 11. *de qualitate Ordin. n.* 4.

At ſi quis prima Clericali Tonſura ante ſeptennium initiaretur, validè eſſet Ordinatus, ſed Ordinatio eſſet illicita, & Epiſcopus incurreret ſuſpenſionem per annum a collatione ejuſdem primæ Tonſuræ. per Text. *in cap. nullus, de temp. Ord. in 6.* nec ulla indigeret diſpenſatione pro Ordinibus ulterioribus ſuſcipiendis, ut reſpondit *Sac. Congr. Conc. in Cotronen.* 19. *Auguſti* 1684.

Cum illegitimis verò, licet Epiſcopi diſpenſare poſſint, etiam quo ad Ordines Minores tantùm, vigore *cap.* 1. *de Fil. Presbyt. in 6.* Piaſec. *Prax. Epiſcop. par.* 1. *cap.* 1. *Art.* 10. *n.* 15. Attamen Eminentiſſimus Vicarius Urbis, hujuſmodi illegitimos, nec quidem ad primam Tonſuram ſolet admittere, abſque prævia diſpenſatione Apoſtolica.

Uxorati, mortua Uxore, poſſunt prima Tonſura inſigniri, & ad omnes etiam Ordines promoveri, dummodo Virginem duxerit, nec alias Uxores habuerint *Extravag. Jo: XXII. Antiquæ &c. & cap. Si quis* 33. *diſt. & toto Tit. de Big. non ord.* Et ideo exhibere tenentur non ſolùm fidem obitùs

di-

dictæ Uxoris, ſed etiam fidem Matrimonii cum eadem celebrati, ex qua conſtet, unicam, & Virginem duxiſſe.

## NOTA SECUNDO.

URbis Vicarius, aut ejus Viceſgerens, privativè quo ad omnes, facultatem habent, ſolemniter conferendi Tonſuram, & ordines, tàm Minores, quàm Majores in Baſilica Lateranenſi, quatuor verò anni temporibus tantùm, ac Sabbatis Sitientes, & Sancto, ex *Bulla* Pauli *III.*: *Licet Eccleſiarum*: §. 19. ibi: *Nec non per te, vel aliquem catholicum Antiſtitem, gratiam, & communionem Apoſtolicæ ſedis habentem, quem ad hoc, cum opus fuerit, duxeritis eligendum, & Deputandum, Ordines conferendi temporibus a jure ſtatutis, ac alia Eccleſiaſtica Sacramenta*: Aliis verò temporibus privativè, & in ſuis Cappellis, aut etiam in Eccleſia, pro eorumdem Vicarii, & Viceſgerentis arbitrio, quæ quidem privativa facultas, ita aliorum facultates reſtringit, ut ſi quis Antiſtes, etiam ex S. R. E. Cardinalibus (excepto Eminentiſſimo Archipresbytero Baſilicæ Vaticanæ, de quo infra) conferre velit Romæ Ordines ſuis Subditis, aut quibusvis aliis, in ſuis privatis Cappellis,

 aut

aut etiam in publica Eccleſia, obtinere debeat licentiam a Vicario Urbis, quæ prævia exhibitione Literarum Dimiſſorialium, ac præviis examine, & exercitiis Spiritualibus, aliiſque omnibus, quæ a Conſtitutione Alexandri VII, & Edicto SS. D. N. Papæ BENEDICTI XIV. *Editi ſub die* 2. Decembris 1740. præſcribuntur, & non alias conceditur in ſcriptis, per organum Secretariæ Tribunalis, nunquam verò in quatuor temporibus, Sabbato Sitientes,& Sancto,ſupra enunciatis; & quamvis Cardinales Titulares aliquandò prætenderint, ſe initiare poſſe prima Tonſura ſuos ſubditos, in Eccleſiis Tituli, hodie tamen, ſtantibus Conſtitutionibus Alexandri VII. qua cavetur, ut qui promoveri volunt in Urbe, a nullo alio promoveantur, quam ab Vrbis Vicario, & Innocentii XI. a quo Titularium Juriſdictio reſtringitur ad ea, quæ ſervitium Eccleſiæ, ſeu loci pii, circa tamen diſciplinam Eccleſiaſticam, & morum correctionem concernunt, nullatenus hæc facultas eis competit, quidquid circa hoc eorum juris hactenus fuerit, quod etiam in dubium revocatum fuit a Nicolio, *qui Lugubrat. p.* 2. *lib.* 1. *Tit.* 33. *n.* 6. hæc habet: *Poſt Concilium, Gregorius XIII. dixit, ſe nolle ea,*

*quæ*

*quæ Epiſcopis conceſſa ſunt, competere Cardinalibus in ſuis Titulis, quia licet habeant quaſi Epiſcopalem juriſdictionem, non tamen ſunt ibi verè, & propriè Epiſcopi.*

Immò ante dictas Coſtitutiones praxis etiam fuit, ut petierint facultatem ab Vrbis Vicario, quemadmodum regiſtratum legitur in Secretaria Tribunalis, in libro, cui Titulus: *In Sede Vacante* fol. 41. feciſſe Cardinales Barbarinum, Langravium, & Martini.

## NOTA TERTIO.

AB obligatione frequentandi Congregationem in Domo Miſſionis eximuntur dumtaxat infraſcripti.

Primo, Scholares Collegii Romani, qui Congregationem in eodem Collegio frequentant, (de qua tamen tenentur exhibere documentum,) vigore ſpecialis reſcripti Sanctiſſimi *ſub die* 31. *Julii* 1742. cujus copia aſſervatur in dicta Secretaria Tribunalis.

Secundo, Confratres Sæculares Oratorii RR. PP. Congregationis S. Philippi Nerii, dummodo hanc Congregationem frequentent, & exhibeant documentum, vigore alterius reſcripti Sanctiſſimi *ſub die* 26. *Martii* 1744. cujus copia pariter in ea-

dem Secretaria aſſervatur, & extenditur etiam ad Ordines Minores.

Tertio, Eximuntur a dicta obligatione, etiam quo ad receptionem Ordinum, tam Minorum, quam Sacrorum, Alumni, & Convictores Collegiorum, & Seminariorum Vrbis, quæ ſunt ſub ſtricta, & formali cura Regularium, vel in eis viget regula non aliàs egrediendi, quàm ſub Directione Superiorum, ſeu Præfectorum, a quibus Alumni, & Convictores prædicti aſſociantur; iſti enim non cenſentur comprehenſi in prælaudata Notificatione, tùm quia non ſunt ſui juris, tùm etiam quia habent Directores pro neceſſariis inſtructionibus in ipſiſmet Collegiis.

## NOTA QVARTO.

PRima Tonſura initiandi, ſicut etiam ad Minores Ordines promovendi, non tenentur peragere illa eadem rigoroſa exercitia Spiritualia, quæ præmittuntur Sacris Ordinibus, ſed de ſtylo eſt, quod per quinque dies interſint nonnullis inſtructionibus, quæ ipſis ſeparatim ab Ordinandis in Sacris, in Domo Miſſionis fieri ſolent, quin tamen in eadem Domo pernoctent.

NO-

## NOTA QVINTO.

QVo ad conſtitutionem Patrimonii. Cum de anno 1718. Cl: Me: Cardinali Paracciani, tunc temporis Vicario Vrbis relatum eſſet, nonnullos Clericos Romanos, ob deficientiam Beneficii, & Patrimonii ſufficientium, pro ſuſcipiendis ſacris Ordinibus, viliſſima quædam munia, & Artes, cum dedecore Ordinis exercere; ſub die 25. Februarii ejuſdem anni (ut apparet ex libro Bandimentorum Secretariæ Tribunalis) præcepit, & ordinavit, facto prius Verbo cum Sanctiſſimo, ut de cetero, nemo ex Romanis prima Clericali Tonſura initiaretur, niſi prius per legitima Documenta conſtaret, eum de Patrimonio proviſum eſſe, ſeu expectativa verè eſſet Beneficii, aut Cappellaniæ proximè obtinendæ, omni,& quacumque fraude remota, quod a Vicariis pro tempore, uſque ad præſens, obſervatum fuit, ut ex Inſtrumentis aſſignationis in dicta Secretaria exhibitis, ac aſſervatis clarè liquet.

Hujuſmodi autem Patrimonium, & ſi ejus non ſit redditus, ut Taxam æquet ſcutorum Sexaginta monetæ Romanæ, juxta ſtylum, & laudabilem conſuetudinem Almæ Vrbis pro Sacris Ordinibus, ſolet ni-

hilominus ab Eminentiſſimo Vicario admitti, dummodo defectus talis non ſit, ut tertiam partem præmemoratæ Taxæ excedat, & aliquando, juſtis, ac legitimis intervenientibus cauſis, & ex ſpeciali gratia, ſolet loco Patrimonii admittere Alimentorum obligationem, per Parentes, vel alios proximiores conſanguineos præſtandorum.

## NOTA SEXTO.

QUamvis prima Tonſura, cum quatuor Minoribus Ordinibus, unica vice conferri poſſit, ubi viget conſuetudo, uti tenent Bonac. Barboſ. & omnes fere Canoniſtæ, non obſtante *Textu in Cap. 2. de eo, qui furt. Ordines ſuſcip.*, ibi enim loquitur de quatuor Minoribus, cum Subdiaconatu; Attamen talis conſuetudo amplectenda non eſt, immò potius reprobanda, quia quamvis Interſtitiorum diſpenſatio pro Minoribus, à Sac. Conc. Trid. Epiſcoporum Arbitrio reliquatur his verbis: *Niſi aliud Epiſcopo videatur. cap. xi. Seſſ. 23. de Refor.* Nihilominus Doctores Eccleſiaſticæ Diſciplinæ defenſores explicant, niſi aliud motivum, ſive cauſa juſta adſit, ut in adnotatione quinta ſequentis Cap. Quapropter juremerito San. Mem.
In-

Innocentius XI.*Sub die* 20.*Februarii* 1676. vivæ vocis Oraculo Cl. Me. Cardinali de Carpineo facto, expreſsè prohibuit, & ordinavit, ne inpoſterum prima Tonſura unica vice,cum quatuor Minoribus conferatur, ſed dumtaxat prima Tonſura, cum duobus minoribus, ut videre eſt *Tom. iv. Variar.Memor.* in dicta Secretaria exiſten.

Et Benedictus XIII. qui ferè omnes ordinationes Generales celebrabat, in ordinatione habita die Sabbati quatuor temporum poſt Pentecoſtes 26. Maii 1725. in Sacroſancta Lateranen. Baſilica, immediatè ante Ordinationem, mandavit, ut de cetero prima Tonſura dumtaxat, abſque ullo alio ordine, tàm Sæcularibus, quàm Regularibus eadem die conferri deberet, ſive ordinationes ſint Generales, ſive particulares, & defacto, neminem ex notatis in Catalogo ordinationis pro dicta die, inſignivit, & ſic deinde ſemper obſervatum fuit, & de præſenti obſervatur in Urbe.

Inſuper eàdem die mandavit, ut in Collatione primæ Tonſuræ dumtaxat, tàm in Ordinationibus Generalibus, quàm privatis, primo Regulares, Deinde Sæculares adſcribi, vocari, & promoveri debeant, eo quia Regulares ſunt verè Eccle.
ſia-

ſiaſtici, alii verò prima Tonſura initiandi ſunt merè laici, ut *ex libro Ordinationum dicti anni*.

## NOTA SEPTIMO.

POſt publicationem Superioris prohibitionis, Clerici Societatis Jeſu, quibus eàdem die prima Tonſura, cum quatuor Minoribus ab immemorabili conferebatur, ne hoc Jus, ſeu Privilegium amitterent, extra Urbem promovebantur; Verùm ſuccedente Clemente XII. Reverendiſſimus Pater Generalis, ſupplicavit Santiſſimo pro diſpenſatione dictæ prohibitionis, & cum præces remiſſæ fuerint arbitrio Emi Dñi Cardinalis Guadagni Vicarii, Ema Sua ſub die 9. Settembris 1732. benignè diſpenſavit, ut apparet *in libro Privil. dictæ Secretariæ fol.* 85.

## NOTA OCTAVO.

PRima Tonſura conferri poteſt quocumque die, & hora, ut habetur in Pontificali Romano. *tit. de Cleric. facien.* Et ad rem facit dubium propoſitum in Sacra Congregatione Concilii ab Epiſcopo Portalegrenſi; an ſuppoſita conſuetudine immemorabili, licitum ſit conferre primam Tonſuram, & Minores Ordines feria ſexta

poſt

poſt Prandium, ante diem Sabbati quatuor temporum. Viſum enim fuit, quo ad primamTonſuram, nullam adeſſe difficultatem, Quo verò ad Ordines Minores, & ſi poſſint conferri diebus Dominicis & Feſtivis, ut in eodem Pontificali Romano, tamen non eſſet improbanda conſuetudo in his locis, ubi antiquiſſima viget, ut in Germania, teſtante Gobat. *in Theol. exper. tract.* 8. *caſu* 12. *Sect.* 1. *num.*452.*pag.* 511. ac in Hiſpania teſtante Henriquez *lib.* 10. *cap.* 12. *num.* 2. Ac proinde *Congregatio præfata Concilii ſub die* 13.*Aprilis* 1720. ad præfatum dubium propoſitum reſpondit: *Affirmativè quo ad primam Tonſuram, & quo ad Minores Ordines, conſuetudinem immemorabilem tolerari poſſe, ſed expedire, ut Epiſcopus ſe conformet* Pontificali *Romano tit. de Minoribus Ordinibus.*

## NOTA NONO.

UT quis ſit verè Subditus ratione originis Cardinali Vicario, ab eoque ut talis prima Clericali Tonſura inſigniri, & ad Ordines promoveri valeat, requiritur, quod naturaliter ortus ſit in Vrbe, vel intra limites Parochialium Eccleſiarum extra Muros exiſtentium, ac eidem Vicario ſubiectarum, dummodo tamen ibi

ibi natus non fuerit ex accidenti, ut habetur in ſupra relata Conſtitutione Innocentiana, cujus verba ſunt: *Ceterum Subditus ratione originis, is tantum ſit, ac eſſe intelligatur, qui naturaliter ortus eſt in ea Diæceſi, in qua ad Ordines promoveri deſiderat, dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti, occaſione nimirum itineris, officii, legationis & mercaturæ, vel cujuſvis alterius temporalis moræ, ſeu permanentiæ ejus Patris in illo loco, quo caſu nullatenus ejuſmodi furtuita nativitas, ſed vera tantum, & naturalis Patris origo erit attendenda.*

Inſuper adnotandum quod per ly *naturaliter ortus eſt*. Excluditur conceptio, adoptio, ac Baptiſmus; Unde, ut quis originarius ſit ad Ordines alicujus Diæceſis, non ſufficit eſſe in ea conceptum, in filium adoptatum, ac lavacro Baptiſmi regeneratum, hæc enim naturalis nativitatis rationem minimè participant, ut per ſe patet, ac eruditè reſolvit Lamperez *n.* 399.

Dixi Baptiſmum non tribuere originem, eo quod iſte dumtaxat ſit Spiritualis nativitas; At in caſu, quo conſtet de loco Baptiſmi, non autem de loco in quo filius naturaliter natus ſit, certum eſt Baptiſmum tribuere ad Ordines originem, dum-

mo-

modo conſtet, inibi Patrem Domicilium tempore nativitatis filii habuiſſe, alioquin Originarius erit loci, in quo Pater memorato nativitatis tempore ſedem Domicilii habebat. Si tamen de Domicilio Paterno in aliquo loco, pro tempore nativitatis Filii minimè conſtet, tunc natus ex accidenti cenſetur, originemque pro ſic natis in dicta Conſtitutione aſſignatam, ut initiari valeat vendicabit.

Ceterum ſi filius natus fuerit in loco, ubi Pater habuit Domicilium ante ortum dicti filii, dubitatur tamen, an tempore nativitatis filii, inibi Domicilium conſervaret, in eoque loco baptizatus inveniatur filius, originarius videtur loci Baptiſmatis, præſumitur enim in loco paterni Domicilii baptizatum fuiſſe, ita tenet Moren. in *Tract.Moral.Tit. Orig. Quæſt. 2. dub. iv. n.* 128.

Unde regula generalis pro invenienda ad Ordines origine, hæc eſt, ut nato filio, vel Pater eo tempore alicubi Domicilium habebat, vel non? Si Domicilium habebat, filius erit originarius paterni Domicilii, ſive in eo natus fuerit, ſive non; ſi Pater nullibi tempore nativitatis filii Domicilium contraxit, Originarius erit loci paternæ naturalis originis, id eſt loci, in

quo

quo Pater naturaliter ortus eſt, niſi Pater in loco, ubi filius ex accidenti natus fuit, ſedem poſtea Domicilii de jure contraxerit, quod tùm ex prædicta Conſtitutione tùm ex dictis abundè conſtat.

## *Sed ex præmiſſis, nonnulla dubia oriuntur, quæ ut infra reſolvuntur.*

DUbium primum. Quæ erit origo filii ex accidenti, caſu quo locus, in quo Pater natus eſt, vel Epiſcopo caret, vel eſt Schiſmaticus. V.G. Schiſmaticus uxoratus ad curiam Principis Catholici, Legatione, aliove miniſterio advenit, in illaque filius ei naſcitur, quique catholicam amplectitur fidem, & ad Ordines promoveri deſiderat. Quæritur quis ſit dicti filii Originis Epiſcopus, qui ipſum titulo Originis promovere valeat: non is, ubi natus eſt, cum inibi ex accidenti ortus fuerit: Non item Epiſcopus paternæ Originis, cum vel Epiſcopo careat, vel Schiſmaticus ſupponatur, a quo nequit Catholicus Ordines ſuſcipere. *cap. Ordinationes 9. quæſt.* 1. quis ergo?

Reſpondetur non eſſe improbabile, quod ſi dicti filii Mater fuerit Catholica, & in lo-

loco ſuæ naturalis Originis adſit Catholicus Antiſtes, hic poſſit titulo Originis ad Ordines promovere; paritate ab illegitimis ſumpta, quibus origo Matris ſuffragatur loco parentum incognitorum; At Patrem carere circumſtantiis, ut poſſit filio Originem ad Ordines tribuere, & Patrem ignorari, quoad hunc effectum, idem prorſus eſt: igitur ſicut in illegitimis origo naturalis Matris attenditur, ſic in noſtro caſu attendi, improbabile non eſt. Idem prorſus dicendum, eſtò prædictus orator Catholicus fuerit, temporequæ ſuæ legationis, locus ſuæ naturalis Originis ab inimicis Eccleſiæ occupatus fuerit, ac in eo Antiſtes Schiſmaticus dumtaxat inveniatur, propter eamdem ratiorem.

Cæterum, ſi Mater etiam Schiſmatica fuerit, verius, & ſecurius cenſeo recurrendum ad Sacram Congregationem Concilii (ad quam in his, & ſimilibus dubiis circa hanc materiam ſemper recurritur) quæ Originis Epiſcopum, ut dictum filium ad Ordines promoveat, aſſignet.

Probabile itidem eſt, filium natum ex Judeis, vel Turcis, qui poſtea baptizantur, originarium eſſe ad Ordines, illius loci catholici, in quo Sacrum Baptiſmum ſuſcepit, ut cum aliis docet Lamperez *n.*

400.

400 Baptiſmus enim, qui eſt ſpiritualis nativitas, ſubrogatur loco nativitatis naturalis.

## *Secundum Dubium. Quænam erit origo illegitimorum.*

DUpliciter horum nativitas contingere valet, vel enim ipſorum ortus, in loco Domicilii parentum accidere poteſt, vel extra, ita ut parentes nullibi Domicilium habeant; vel ſi habeant, diverſum ſit, Patris ſcilicet in una Diæceſi, Matris in alia; Item Pater poteſt eſſe notus, aut ignotus: in his ergo & ſimilibus eventibus, quæritur, quis ſit prædictorum illegitimorum locus Originis, ut promoveri valeant.

Pro quo adnotandum. In præmemorata Conſtitutione duplicem diſpoſitionem legi, aliam pro nativitate filii propria, aliam pro fortuita, ac caſuali, diverſamque Originem ad Ordines, pro diverſitate nativitatis aſſignari: Item in dicta Conſtitutione ſtatuitur, quod ſi Pater in loco, ubi filius ex accidenti natus eſt, Domicilium contraxerit, filius Originarius ſit loci novi Domicilii paterni. Difficultas ergo eſt, an omnes iſtæ diſpoſitiones comprehendant in ſuo reſpectivè caſu illegitimos filios. Re-

Reſponſio hujus difficultatis ab alia pendet, ſcilicet, an quando leges aliquid circa filios diſponunt, nomine filiorum intelligantur illegitimi, da qua Barboſ. *de appellat. verb. appellat. 99. n. 35. & 36.* ubi in affirmativam inclinat, quando ratio legis certa eſt, & omnibus filiis æqualiter convenit: Unde in præſenti triplex erit quæſtio. Prima, an quando illegitimus oritur in loco, ubi Parentes habent Domicilium, Originarius ſit ejuſdem loci. Secundo, an deficiente in Parentibus Domicilio, illegitimus ſequatur originem paternam, an Maternam. Tertia. An ſi Pater, & Mater illegitimi, Domicilium contrahant in loco, ubi dictus filius natus eſt, ratione iſtius Domicilii ſit originarius loci novi Domicilii Parentum.

Reſpondetur primo, quod illegitimus natus in loco, ubi ejus Parentes habent Domicilium, eſto de Patre certò conſtet eſſe Originarium loci Domicilii Materni. Ita Joannes Præpoſitus, apud Dianam *p. 8. tract. 2. reſolut.* 18. cujus ſententia, etiam in terminis dictæ Innocentianæ Conſtitutionis tenenda videtur, quia leges, cum de filiis loquuntur, non comprehendunt illegitimos, quando eorum ratio æqualiter non convenit legitimis, & illegitimis, at

ſic eſt in præſenti; nam in legitimis, eorum parentes idem habent Domicilium, cum pro eàdem perſona reputentur propter unionem Matrimonii: non ſic in fornicariis, quilibet enim eorum habere poſſet diverſum Domicilium, & in diverſa diæceſi, ex quo fieret, quod ſi illegitimus, Domicilium utriuſque Parentis ſequeretur, duplicem haberet Originem ad Ordines, contra Innocentianam Conſtitutionem, quæ duplicem Originem nòn admittit.

Unde ſi Mater, tempore, quo illegitimus naſcitur, nullibi Domicilium haberet, cenſetur natus ex accidenti, etiam ſi de Patre certò conſtet, habeatque Domicilium, quia ex dictis, conditionem Matris ſequitur. Similiter ſi Mater illegitimi, Domicilium in aliqua diæceſi habens, extra illam in lucem daret, Originarius erit ad Ordines loci materni Domicilii.

Reſpondetur Secundo, illegitimum natum ex accidenti; eo quod Mater nullibi habeat Domicilium, Originarium ad Ordines eſſe loci naturalis maternæ originis, etiam ſi de Patre certo conſtet, quia Jus civile, *leg. 1. in fin. ff. ad municip. & leg. ejus qui ff. eodem.* illegitimos filios, Matris filios agnoſcit, eo quod ab iſta certius procedant. Nec obſtat, quod Conſtitutio Inno-

nocentiana,pro Origine filii caſualiter nati, locum naturalis paternæ originis aſſignat; nam ly *Patris*, latè ſumitur, & comprehendit Matrem in caſibus, quibus ſecundum Jus, ad Patrem nequit recurri, & hanc ſententiam tenet Barboſa *de Poteſt. Epiſc.allegat.* 4.*n.*15. Diana *p.*8.*trac.* 2 *reſolut.*12. Trullench *tom.* 3.*lib.* 4 *cap. unico dubio* 6. *n.*7. & alii ab iſtis citati.

Ad tertiam difficultatem, an ſcilicet, ſi Mater Domicilium de jure contrahat in loco, ubi illegitimus natus eſt, amittat ille originem loci Maternæ originis, fiatque originarius loci novi materni Domicilii, negativè reſpondendum cenſeo, quia Conſtitutio Innocentiana, de ſolo Patre Domicilium, nato filio, eligente loquitur, valdeque dubium in Jure eſt, quod Domicilium Matris tribuat filiis natis Domicilium, eſto cum illa morentur,animo perpetuò ibidem habitandi, ut allegat Navarrus *lib.*1.*conſil. de temporibus Ordin. Conſil.* 2. *n.*5. *&* 6.

## *Tertium Dubium, de Origine Expoſitorum.*

EXpoſiti vocantur illi filii, quorum Parentes ignorantur; nam vix ut nati ſunt, Hoſpitali ipſis deſtinato conſignan-

tur,& regulariter, non modo parentes, verùm, & locum nativitatis ipſorum ignoratur. De his ergo in præſenti quæritur, quis ſit locus originis, ut hoc titulo ad Ordines promoveri valeant.

Sed antequam ad dictum dubium reſpondeam, præmittendum eſt, quod Infantes expoſiti in Hoſpitalibus, cùm communiter a Doctoribus apud Amoſtaz. *de cauſis piis lib.* 4. *cap.* 11. *num.* 73. pro Spuriis, & illegitimis habeantur, ſunt omninò irregulares, & uti tales repellendi ſunt ab Ordinibus, ut definitum eſt *in cap.* 1. *de fil. Presbyteror. in* 6. ne turpitudo, quam trahit fætus ex illicito concubitu, Sacrum Miniſterium polluat. Et hanc ſententiam comprobat praxis Romanæ Curiæ; cum obtineantur pro expoſitis diſpenſationes Apoſtolicæ ad Sacros Ordines; excipitur tamen caſus Apoſtolici privilegii, quod obtinuiſſe expoſitos in Hoſpitali Sanctiſſimæ Annuntiatæ Neapolis, ut promoveri valeant ad Ordines per Archiepiſcopum Neapolitanum, ſine alia diſpenſatione, refert Corrad. *in praxi Diſpenſ. lib.* 3. *cap.* 2. *n.* 2. *& n.* 9.

Attamen, ſi ageretur de expoſitis, quorum parentes innoteſcerent, nihil obſtat, quin ad Sacros Ordines promoveantur, ſi le-

legitimi ſint, quamquam expoſiti forent. *cap.* 1. *de Infant. Expoſ. Corrad. cit. n.* 1. Et expoſiti, etiam incogniti, ad Sacros ordines promoti, ſine diſpenſatione poſſent in illis miniſtrare tuta conſcientia; quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis *cap.* 1. *de fil. Presbyt.* Garz. *de Benef.* parte 7. *cap.* 2. *n.* 11. Et in Congregatione Conſultorum S. Officii die 6. Julii 1643. reſolutum fuit, non eſſe reſpondendum in Scriptis cuidam Religioſo in Regno Cyprarum, ſed oretenus dicendum, eſſe quietum in conſcientia, ut non indigeat Diſpenſatione; præſertim, cum ſit in quaſi poſſeſſione.

His præmiſſis reſpõdetur, Expoſitos, originarios eſſe loci, in quo expoſiti fuerunt; nam eo quod Parentes, locuſque eorum ignoretur, cives ſunt loci, in quo expoſiti fuerunt, & ita tenet Barboſa ſupra *n.* 37. Campanil. aqud Trullench. cit. *n.* 12. ibi: *Expoſiti ordinari poſſunt ab Epiſcopo, qui eſt Ordinarius loci, in quo expoſiti ſunt; nam eo quod Parentes ignorantur, ſine dubio illius loci effecti ſunt cives*. Cum enim in obſcuris minimum ſit ſequendum, *cap. in obſcuris de regulis Jur. in* 6. Et locus, Parenteſque Expoſitorum adeo obſcuri ſint, locus, ubi expoſiti fuerunt gerit vi-

 ces

ces Patriæ, & Patris, nam ibi cenſentur nati.

Sed quia pluribus in locis, dicti Infantes exponi valent, experientia teſte, inquirendum eſt, quiſnam eorum determinatè originis ad Ordines tribuat titulum, ne plures origines admittere compellamur, contra Innocentianæ Conſtitutionis mentem V. G. exponitur Titius primò in loco Diæc. Tuſculanæ, ibique baptizatur, ſecum enim affert cedulam monentem, lavacro Baptiſmi non eſſe ablutum, deinde ad Hoſpitalem S. Spiritus de Urbe, ad expoſitorum educationem deſtinatum, conducitur. Quæritur cujus loci dictus Titius originarius ſit, an illius in quo primò expoſitus fuit, vel potius in quo ad ſuam educationem permanet.

Reſpondetur, eſſe ad Ordines originarium loci Hoſpitalis, ubi ut alatur, ac educetur permanet, non verò loci, in quo primo fuit expoſitus, & baptizatus, quia in iſto, quaſi accidentaliter fuit expoſitus.

Hactenus dicta intelligenda ſunt, caſu, quo de Parentibus, aut loco expoſiti, minimè conſtet, aliter enim dicendum, ſi de ipſis conſtet temporis curſu: Unde ſi de Parentibus, locoque expoſiti conſtet, iſque legitimus fuerit, erit originarius loci, in

quo

quo naturaliter ortus fuit, modò inibi ex accidenti non ſit natus, in hoc enim caſu origo naturalisPatris,origo filii erit,ex ſuperius dictis. Ratio eſt, quia ex quo de Parentibus, & Patria expoſiti conſtat, deſinit expoſitus eſſe, ſaltem quo ad effectum tituli originis ad Ordines.

Si tamen de loco, in quo expoſitus ortus eſt, minimè verè de Parentibus conſtet, verius judico originarium eſſe loci,in quo expoſitus fuit, non verò loci, in quo natus, immò baptizatus fuit, nam ignorantia ea parentum, magnam inducit præſumptionem, ibi natum ex accidenti, cum impoſſibile moraliter appareat, Parentes ignorari, ſi in eo loco Domicilium contraxerunt.

Si verò expoſitus illegitimus fuerit, conſtetque de Matre, originarius ad Ordines erit, vel loci Materni Domicilii, vel originis naturalis Maternæ, juxta dicta ſupra dubio antecedenti: ſi autem de Matre non conſtet, originarius erit loci, in quo permanenter fuit expoſitus, gerit enim hic locus vices Patriæ, & Parentum.

Circa Derelictos, qui illi dicuntur, quorum Parentes, cum illi parvuli eſſent, vel peregrinando, vel in militia mortui fuerunt, ipſique filii nomen Parentum

Patriamque ſuam ignorant , hi inquam originarii ſunt loci , in quo primò Domicilium contraxerunt, ut tenet Lamperez *n.* 404. Quod verum eſt, eſtò poſtea ad aliam Diæceſim Domicilium transferant, quia iſtud Domicilium eſt originis, quod ex natura ſua invariabile eſt. Si veró nullibi Domicilium elegerint, ad Sacram Congregationem Concilii recurrant.

## *Quartum Dubium , de libertorum Origine , & Libertinorum .*

Libertus dicitur, qui cum fuerit ſervus , manumittitur . Libertini dicuntur , qui ex liberis procreati ſunt, hoc eſt , ipſi quidem nunquam ſervierunt, ſed eorum Parentes , antequam ipſi naſcerentur è ſervitute manumiſſi ſunt, & de his quæritur , quis poſſit titulo originis ipſos ad ordines promovere. Suppono primo, ſervos in ſtatu Servitutis ad ordines promoveri non poſſe , *cap. ut filii, de fil. Presbyt. Ordin. vel non* , *cap. de ſer. cap. de famul. de Servis non Ordinandis* . Suppono ſecundo, prædictos libertos, naſci potuiſſe in Africa , aliove loco , ubi Epiſcopi non extant, vel ſi extant., Titulares ſunt, quique ad Ordines promovere non valent,ex

*Trid.*

*Trid. Seſſ.* 14. *cap.* 2. *de Refor.* Oriri itidem potuerunt in locis Catholicorum, ſed ex accidenti, occaſione itineris ſcilicet, vel etiam oriri potuerunt, dum eorum Parentes Dominis, quorum ſervi ſunt inſervirent.

Reſpondetur, in his, & ſimilibus caſibus, Libertus originarius eſt loci, ubi Patronus veram, & naturalem habet originem, non autem ubi ipſe Patronus Domicilium habet. Ita cum aliis Trullench *n.* 12. ibi: *Libertus quando poteſt promoveri, Ordinandus eſt ab Epiſcopo loci, a quo Patronus trahit originem, quia illius loci eſt Libertus, municeps, & non ab Epiſcopo, ubi Patronus habet Domicilium*; Et ratio eſt, quia cum Liberti Parentes, nullibi Domicilium, utpote ſervi, acquirant, filii cenſentur ex accidenti nati, & cum alias naturalis origo Parentum nequeat Suffragari, ſupponitur enim inibi Epiſcopo carere, recurrendum eſt ad originem naturalem Patroni, quæ invariabilis eſt.

De Libertinis autem dicitur, quod ſi eorum Parentes, tempore illorum ortus, Domicilium in aliquo loco contraxerunt, originarii ad Ordines erunt loci paterni Domicilii, ſi autem tempore ortus Libertinorum, Domicilio Parentes carebant, ori-

gi-

ginarii erunt veræ, & naturalis originis Patroni Parentum, ſicut de Libertis manet dictum, & ita tenet Pax Jordanus *Volum.*1. *lib.*3 *tit.6.n.*43. Propria verò origo accidentalis Libertorum, & Libertinorum, nunquam attendenda eſt, quidquid in contrarium dicat ipſe Jordanus Citatus.

## *NOTA DECIMO.*

NEophyti in Conſtitutione Pauli III. edita de anno 1542. quæ incipit *Judeos* §. 3. Declarantur cives ejus loci in, quo Baptizantur, his verbis. „ Et quoniam
„ per gratiam Baptiſmi, Cives Sanctorum,
„ & Domeſtici Dei efficiuntur, longèque
„ dignius exiſtit regnare Spiritu, quàm na-
„ ſci carne, eàdem Conſtitutione ſtatui-
„ mus, ut Civitatum, & locorum, in qui-
„ bus S. Baptiſmate pro tempore regene-
„ rabuntur, verè cives ſint, & privilegiis,
„ ac libertatibus, & immunitatibus, quæ
„ alii ratione nativitatis, & originis dum-
„ taxat conſequuntur, gaudeant: Ex quo Privilegio clarè deducitur, quod Tonſura inſigniri, & ad Ordines promoveri debent ab Epiſcopo loci; in quo Baptizantur, cum talis locus pro vera eorum Origine habeatur, & hæc eſt praxis Romanæ Curiæ, ſed quoniam *ex cap.aliquo* 51. *diſt. & cap.*

*cap. quoniam* 48. *diſt.* propter irregularitatem, quam ſecum afferunt, nedum ad Ordines, ſed nec ad ipſam Clericalem Tonſuram promoveri valent, abſque prævia ſedis Apoſtolicæ diſpenſatione, ideo pro habilitatione recurſum habere debent ad Sacram Congregationem S. Officii, quemadmodum faciunt Alumni Collegii Neophytorum de Urbe, a qua Sacra Congregatione ſequens decretum emanare ſolet: *Die &c. Sanctiſſimus D. N. &c. cui in ſolita audientia per R. P. D. Aſſeſſorem S. Officii relata fuerunt vota Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum DD. S. R. E. Cardinalium Generalium Inquiſitorum, ſupradicto Oratori, diſpenſationem petitam pro nunc ad Ordines Minores tantùm ſuſcipiendos benignè conceſſit*: ſed cum pro Minoribus Ordinibus tantùm diſpenſatio concedatur, pro Sacris Ordinibus novus recurſus ad eamdem Sac. Congregationem debito tempore habendus eſt.

## *NOTA UNDECIMO.*

Quemadmodum Epiſcopi in ſua Diæceſi, ita, & Cardinalis Vicarius in Urbe, facultatem habet promovendi Familiares ſuos ad Ordines, ex lege Tridentini *ſeſſ.* 23. *cap.* 9. *de Refor.* aliquibus tamen in-

interiectis conditionibus, quæ quia ſiniſtrè a pluribus intelligebantur; Innocentius XII. in ſua Conſtitutione ſpeculatores, ad fraudes vitandas, utque veram intelligentiam Tridentino tribueret, ſequentia per infraſcripta verba decernit:

*Nullus Epiſcopus Alienæ Diæceſis ſubditum familiarem ſuum ad aliquos Sacros, ſeu Minores Ordines, vel etiam primam Tonſuram promovere, ſeu Ordinare præſumat, abſque ejus proprii Originis ſcilicet, ſeu Domicilii Prælati Teſtimonialibus litteris, ut ſupra, & niſi ad præſcriptum Concilii Tridentini præfati, ſeſſ. 23. cap. 9. de Refor. familiarem prædictum per integrum, & completum triennium in ſuo actuali ſervitio ſecum retinuerit, ac ſuis ſumptibus aluerit: Beneficium inſuper, quod ei ad vitam ſuſtentandam; juxta modum ſuperius præfinitum ſufficiat, quacumque fraude ceſſante, ſtatim, hoc eſt ſaltem intra terminum unius Menſis, a die factæ Ordinationis reipſa illi conferat, ac in Ordinationis hujuſmodi teſtimonio, expreſſam itidem Familiaritatis, ac litterarum prædictarum mentionem facere teneatur.*

Quibus verbis interdicitur Epiſcopis, ne Familiares ſuos, alienæ Diæceſis ſubditos, titulo Familiaritatis ad Ordines, ſeu primam Tonſuram promoveant, non præmiſ-

ſis

ſis Teſtimonialibus Epiſcopi Originis, vel Domicilii eorumdem Familiarium, & niſi Familiaritatem obtinuerint ad normam citati Concilii Tridentini, ac Beneficium reipſa Familiaribus, ſaltem intra Menſem a die factæ Ordinationis, conferendo. Hoc privilegio promovendi ſuos Familiares gaudent ſolummodo Epiſcopi, qui Clerum, & populum Chriſtianum habent, nec gaudent Epiſcopi Titulares, ipſis enim ſimilis poteſtas ſublata eſt a Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 2. *de Refor.* nec etiam Cardinales, ſaltem qui in Romana Curia reſident, quidquid in contrarium doceant nonnulli Auctores, obſtat enim manifeſtè Conſtitutio S. M. Alexandri VII. quæ incipit *Apoſtolica ſollicitudo*.

Infertur ex dictis. primo, non eſſe improbabile, quod trienninm, quo inſervire tenetur Familiaris Epiſcopi alienæ Diæceſis ſubditus, non debat eſſe continuum, quia dicta Conſtitutio ſolùm expoſcit, quod triennium ſit integrum, & completum, ſed poteſt eſſe completum, & integrum, quin ſit continuum: ergo non contraveniret dictæ Conſtitutioni, qui triennio non continuo ad Ordines promoveretur, quia quod lex non diſtinxit, nec nos diſtinguere debemus. Dixi non eſſe improbabile, nam non

de-

deſunt auctoris pro utraque parte, ut videri poteſt apud Caſtr. Pal. *trac.* 27. *diſp. unic. punct* 15.

Infertur Secundo. Familiaris, qui triennio integro expleto, a ſervitio Epiſcopi dimittitur, & poſtea ad ipſum inſerviendum admittitur, non expectato altero triennio, promoveri ad Ordines valet. Ratio eſt, quia promovere ſuos Familiares, eſt Privilegium in favorem Epiſcopi conceſſum, atque adeo, licet Familiaris fuerit dimiſſus, dum iterum admittitur, cenſendum eſt, ſemper in ſervitio ſui Domini permanſiſſe.

Infertur Tertio. Supradicta requiſita, nempe familiaritatem triennalem, litteras Teſtimoniales, & Collationem Beneficii requiri, non ſolùm pro Ordinibus Majoribus, ſed & pro Minoribus, imò & prima Tonſura initiandis. Hoc colligitur clarè, tam ex Decreto allegato Tridentini, generaliter loquentis, ſine ulla limitatione ad hos, vel illos Ordines, quàm ex verbis Bullæ Innocentianæ ſupra relatis.

Infertur Quarto. Servitium triennale, quod petitur a familiari, ut hoc Subiectionis titulo guadeat, debere eſſe præſtitum Epiſcopo, ut Epiſcopo, ſive poſtquàm factus eſt Epiſcopus, quin ſufficiat deſer-

viiſſe

viiſſe quando erat Canonicus, Vicarius, Judex &c. quia hæc facultas, ſeù Privilegium conceſſum eſt dignitati, non perſonæ, atque adeo computum triennii incipere debet ex quo incipit Servitium fieri dignitati, ſeu perſonæ dignificatæ, & debere eſſe, ut ſupra notavi., completum, & non ſufficere inceptum, quia cum ſit res odioſa Prælatis propriis, originis, & Domicilii, quod Familiares Epiſcopi eximantur ab eorum juriſdictione, quo ad Ordines, Decretum Concilii rigorosè eſt accipiendum de triennio integro, quin regula *annus inceptum habetur pro completo*, locum habeat in odioſis, ut eſt hæc materia, ſed tantum in favorabilibus, ita Marchin. *p. 5. cap. 9.*

Infertur Quinto, tàm Tridentinum per illa Verba: *ſecum commoratus*, quàm dictam Bullam, per iſta: *ſecum retinuerit*: denotare, ſolùm gaudere poſſe hoc Privilegio, de quo loquimur, Familiarem, qui in Palatio, cum Epiſcopo degit; talitèr, quod ſi adeſſet in aliqua Univerſitate, ſtudii cauſa, vel in aliqua curia, negotia Domini ſui acturus, licet Expenſis Epiſcopi aleretur, non poſſet titulo familiaritatis Ordinari, quia hunc ſecum non retinet Epiſcopus, & hæc eſt communis opinio, Diana. *Tom.* 2.

*Coord.*

*Coord. trac.* 5. *reſol.* 63. Caſtr. Pal. *trac.* 27. *diſp. unic. punct.* 15. & alii ab iſtis citati. Immò Lamper. *par.* 46. *n.* 435. tenet, ſed minus probabiliter, quod non gauderet hoc privilegio, quamvis degeret in eadem civitate, ſi habitationem ſuam intra ædes Epiſcopales non haberet, ex illa potiſſimum ratione, quia non verificaretur ly *ſecum commoratus*.

Infertur Sexto. quod per illa verba *ſuis ſumptibus aluerit*. Declaratur, quod ad præſentem effectum, ſunt Familiares Epiſcopi illi, qui inſerviunt, & commorantur in eadem Domo, cum Epiſcopo, & comedunt ex Menſa Epiſcopali, ſive portio aſſignetur in pecunia, ſive in ſpecie alimentorum.

Infertur ſeptimo: Litteras Teſtimoniales, quas afferre obſtringuntur familiares Epiſcopi a ſuis Prælatis, debere eſſe juxta ſequentem formulam.

„ Univerſis, & ſingulis &c. ( vel Illu-
„ ſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino
„ Epiſcopo N. ) Dilectus Nobis in Chri-
„ ſto filius N. oriundus ex Oppido N. hu-
„ jus Noſtræ Diœceſis, Nobis expoſuit (vel
„ exponi nobis fecit ) quod ipſe eſt in
„ actuali ſervitio Illuſtriſſimæ Domina-
„ tionis V., ac prima Clericali Tonſura

Or-

„ Ordinibuſque inſigniri pro arctiori Dei
„ famulatu deſiderat; cumque ad effectum
„ hujuſmodi conſequendum, noſtris Teſti-
„ monialibus litteris, ad præſcriptum Bul-
„ læ S. M. Innocentii Papæ XII. quæ inci-
„ pit *Speculatores* indigeat , ſuppliciter
„ exoravit, ut eas ipſi concedere digna-
„ remur. Hinc nos, quia veritatis teſti-
„ monium proferre juſtum , & congruum
„ eſſe ducimus, ejus precibus humiliter
„ porrectis, ac pio deſiderio annuentes „
„ legitima informatione præmiſſa , notum
„ facimus, & atteſtamur, ſupradictum N.
„ eſſe filium legitimum , & naturalem N.
„ & N. incolarum dicti oppidi de N. hujus
„ noſtræ Diæceſis,ex Chriſtianis, & hone-
„ ſtis (vel nobilibus) parentibus eſſe pro-
„ creatum, & in ætate . . . annorum con-
„ ſtitutum, primaque Tonſura ( vel Aco-
„ lytatus ordine) ritè,& rectè inſignitum,
„ necnon pro tempore , quo in hac noſtra
„ Diæceſi moras duxit, nempe a Nativi-
„ tate, uſque ad Menſem N. anni N. ſem-
„ per fuiſſe virum bonæ vitæ , honeſtæ fa-
„ mæ, ac Converſationis, nec unquam in
„ Noſtra Curia fuiſſe proceſſatum , ſuſ-
„ penſum,interdictum, excommunicatum,
„ alioque canonico impedimento ( quod
„ Nobis conſtet ) irretitum, quominus ad

„ ulteriores Ordines , Servatis alias, ju-
„ xta Sac. Concil. Trid. & præfatæ Bullæ
„ Decreta Servandis, promoveri poſſit ,
„ prout de prædictis omnibus, Nobis con-
„ ſtitit, & conſtat. In quorum fidem &c.
Datum &c.

Hæ Litteræ conſervari debent cum cæteris Documentis, informationibus, & Inſtrumentis ad Ordines pertinentibus , & eſt etiam de illis expreſſa mentio facienda in conſueto Collatorum Ordinum teſtimonio, quod ab Epiſcopo Ordinante datur Ordinatis.

Infertur octavo: Beneficium, quod juxta hoc Decretum, ab Epiſcopo conferendum eſt familiari intra Menſem poſt ordinationem, debere eſſe ſufficiens ad honeſtè vivendum, juxta taxam Diæceſis Epiſcopi Ordinantis, vel ea deficiente, juxta morem regionis, quamvis Beneficium ſit ſimplex, ( quod non ſufficit pro eo, qui in aliena Diæc. ad Sacros Ordines promoveri deſiderat ratione Beneficii, tunc enim ſi Beneficium eſt ſimplex, & non reſidentiale, debet eſſe juxta taxam Diæceſis ſuæ originis, ut ſuo loco videbimus ) quin adſit facultas ſupplendi cum addictione Patrimonii, vel penſionum, intra, vel extra Diæceſim, quod deficiat de congrua,

pro-

Digitized by Google

propter tenuitatem Beneficii.

Infertur nono; quod licet familiaris Ordinandus, ratione familiaritatis, habeat Beneficium Eccleſiaſticum, & ſufficientem congruam in alia Diæceſi, donandus eſt alio Beneficio ſufficienti ad victum à ſuo Domino, quin maneat locus effugiendi adimpletionem hujus conditionis, ſub qua conceditur Epiſcopo, familiarem ſuum ad Ordines promovere, ut clarè denotant illa verba: Quacumque fraude ceſſante, reipſa illi conferat.

Infertur Decimo; quod ſicut ille, qui ſit ſubditus ratione Beneficii, ad effectum ſuſcipiendi Ordines, debet habere Beneficium ſufficiens ad congruam, non ſolùm pro Ordinibus majoribus, ſed etiam pro minoribus ſuſcipiendis, quamvis Trid. *Seſſ.* 21. *cap.* 2. Solùm pro ordinandis in Sacris congruam exigat; ſic ſimiliter Epiſcopus, familiarem ſuum, ad familiaritatis titulum promovens, conferre debet Beneficium ſufficiens ad congruam, intra Menſem, & ſi tantùm prima Tonſura illum initiaret.

Remanet unica difficultas hìc examinanda, ſcilicet, an Epiſcopus Familiarem ſuum triennalem, ad Sacros Ordines promovere poſſit, abſque ullo Patrimonio;

vel penſione. Negativè reſpondet Caſtr. Pal. cum Barboſ. ſupra citati, ſed contrariæ eſt adhærendum ſententiæ, cum Gabriele Vaſquez *in 3. part. tom. 3. diſput.245. n.* 49. dummodo intra menſem Beneficium conferatur, & in hoc ſenſu admittit etiam March. Ratio eſt, quia, collato Beneficio, habebit titulum, & congruam, & interim non adeſt periculum, quod mendicet; ſiquidem expenſis Epiſcopi alendus eſt, & ſi dicatur, contingere poſſe, quod Epiſcopus moriatur, quin de Beneficio providerit; dicam, quod ideo præcavet hoc Decretum, quod intra menſem reipſa conferatur; quod noſtram confirmat concluſionem; aliter enim, non ita arctarentur ab Innocentio XII. Epiſcopi, ad tam breve tempus, ſi mens Tridentini foret, quod diſpoſitio *ſeſſ. 21. cap. 2.* etiam ad Familiares, *prævie ad receptionem Subdiaconatus*, extenderetur.

## NOTA DUODECIMO.

Quatuor eſſe genera Perſonarum, a quibus prima Tonſura, ac etiam Minores Ordines conferri poſſunt, nempe Epiſcopos, Angelos, ſecundum communiorem ſententiam, ſimplices Presbyteros, atque Abbates. Epiſcopi quidem jure

re ordinario; reliqui autem jure delegato, & ex ſpeciali commiſſione.

Quod Epiſcopi jure ordinario conferant Tonſuram, & reliquos minores ordines, nemo eſt qui dubitet, cum hoc ſemper ſervatum fuerit in Eccleſia, uſque ab ejus initio, & definitum eſt in Tridentino *ſeſſ.* 23. *can.* 4. *&* *can.* 7. & hæc poteſtas tribuitur Epiſcopis in eorum conſecratione, & fundatur in Charactere, adeout eis auferri non poſſit.

Angeli, & Beati poſſunt conferre primam Tonſuram, & Minores, ſecundum communiorem ſententiam, ſequentibus rationibus innixam. Primo, quia ſicut Deus virtutem ſuam, non alligavit Sacramentis, quin ſine eis poſſit effectum Sacramentorum conferre; ita etiam virtutem ſuam, non alligavit Miniſtris Eccleſiæ. quin etiam Angelis poſſit tribuere virtutem miniſtrandi Sacramenta, quæ ratio eſt D. Thomæ *in* 3. *p. q.* 64. *art.* 7. Secundo quia Angeli in Corporibus aſſumptis, abſque ulla difficultate, poſſunt adhibere materias Sacramentorum, & eorum formas proferre, per verba humano more prolata. Tertio, quia teſtantur Hiſtoriæ, non ſemel Angelos fuiſſe Sacramentorum Miniſtros.

Quod etiam Simplici Presbytero poſſit

delegari primæ Tonſuræ, & Minorum Ordinum collatio, eſt communis Theologorum, & Canoniſtarum reſponſio. Ita S. Thomas *in 4.diſt.* 25. *q.* 1. *Art.*2. Scotus *diſt.* 24. *q. Unica* §. *de Tertio*. Ex hæc communis opinio probatur, primo *ex cap. quoniam* 69. *diſt.* ubi conceditur Abbati conferre Minores Ordines ſuis Monachis, *dummodo tamen conſtet, ipſum eſſe Preſbyterum.* Secundo *ex cap.*1. *de Ordinatis ab Epiſcopo, qui renunc.* Ubi Alexander III. reſpondens ad ſibi propoſitam difficultatem, diſtinguit Ordines Sacros, a minoribus, & poſtea, ſubdit, *hujuſmodi Ordines* (minores) *a non Epiſcopis quandoque Conferuntur*. Tertio ex Concilio Trid. *Seſſ.* 23. *cap.* 10. *de Refor.* docente, Abbates, qui Sacerdotes ſunt, non poſſe, niſi ſuis ſubditis Ordines Minores, & Tonſuram conferre. A quo autem fieri poſſit hæc Delegatio Præsbyteris, Ordinandi Clericos, communis eſt reſponſio, quod a ſolo Papa fieri poteſt; non etiam ab Epiſcopo. Fagnanus *in cap. Aqua, num.* 5: *de conſecr. Eccl. vel. Altar*. De poteſtate Abbatuum, circa collationem Tonſuræ, & Minorum Ordinum, vide cap. 12. hujus libri.

NO-

## NOTA DECIMOTERTIO.

PRima Tonſura initiari non poſſunt, multoque minus ad Ordines promoveri, qui aliquod ex infraſcriptis impedimentis patiúntur.

Non baptizati, *cap. Venies, de Presbyt. non bapriz.*

Illegitimi, *cap.* P*resbyter. 56. diſt.*

Minores natu, *cap. qui in aliquo. 51. diſt.*

Non Confirmati, *Conc. Trid. Seſſ. 23. cap. IV. de Reform.*

Neophiti, dicto *cap. qui in aliquo, & cap. Quoniam 48. diſt.*

Uxorati, *Extravag. Jo. XXII. Antiquæ & c.*

Bigami *cap. ſi quis 33. diſt. & toto tit. Tit. de Big. non Ord.*

Criminoſi, *cap. Laici diſt. 33. Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. VII. de Reform.*

Infantes, *cap. Infantes 6. quæſt. 1.*

Publicis rationibus impliciti, *cap. Legem 53. diſt.*

Servi, *cap. de Servorum de Ser. non Ordin.*

Eunuchi, *cap. ſi quis. 55. diſt.*

Corpore vitiati, *cap. Illitteratos. 36. diſt.*

Inſigniter Deformes, *cap fin. 51. diſt.*

Amentes, & furioſi, *dicto cap. qui in aliquo*.

Energumeni, *cap. communiter. 33. diſt.*

Peregrini, & ignoti. *dicto, cap. qui in aliquo*.

Ebrietati, & gulæ dediti, *cap. 23. de vit. & honeſt. Cler.*

Uſurarii manifeſti. *cap. Epiſcopus. 45. diſt.*

Rudes & ignari. *Conc. Trid. Seſſ. 23 per. tot.*

Irregulares. *Cap. ſæpè de temporibus ord. in ſexto*.

Interdicti.

Excommunicati.

Morbo caduco Laborantes.

Lanii, Cauponæ, Mimi, Hiſtriones.

Qui ſæva exercuit, vel Denunciavit, ſecuta pœna, vel mutilatione.

*Cap. communiter, cap. Clerici, diſt. 33. cap. unicò de vita & honeſt. Cleric. in ſexto. Clem. 1. eodem Tit. cap. his quibus 23 quæſt. 8. cap. ſententia Sanguinis, ne Cleric. vel Monach. cap. ex Litteris de exceſſ.* Prælat.

CA-

# CAPUT SECUNDUM.

## Romani, qui Minoribus Ordinibus inſigniri cupiunt, Teſtimonia infraſcripta, exhibere tenentur, nempe.

I. *PRIMÆ TONSURÆ, SEU ORDINIS ULTIMO SUSCEPTI*, caſu, quo promovendus aliquem, vel aliquos ex Minoribus jam ſuſceperit.

II. *SERVITII PRÆSTITI ECCLESIÆ*, cui ſunt adſcripti, maximè in ſolemnioribus anni Feſtis diebus, ac de Doctrinæ Chriſtianæ Frequentatione, niſi abſint cauſa ſtudiorum. *Trid. ſeſſ.* 23. *cap.* 6. *&* 11. *& Conc. Rom. Tit. VI. cap.* 2.

III. *PROPRII PAROCHI* bonum

num Teſtimonium. *Trid. d. ſeſſ.23. cap.5. de Reform. & Conſt. Alexandri VII.*

IV. *SUPERIORIS DOMUS MISSIONIS*, in Monte Citatorio, ſuper frequentia, per ſex Menſes continuos Congregationi in eadem Domo inſtitutæ, ad formam Edicti Sanctiſſimi D. N. Papæ *ſub die 2. Decembris* 1740. ſupra relati.

V. *MAGISTRI SCHOLÆ* - Tridentinum, loco ſupra citato, & dicta Conſtitutio.

VI. *DE PERCEPTIONE* Sanctiſſimi Corporis Chriſti, ſingulis quibuſque quindenis diebus, ultrà ſolemniores anni Feſtivitates. *Trid. ſeſſ.23. cap.11. de Reform.* & Concilium Romanum *Tit.16.cap.5.* nec non de aſſociatione Sanctiſſimi Viatici, ut ſupra cap.1. n.4.

VII. *EXAMINIS*, præcipuè circà linguam latinam. Trid. ſeſſ.23.

Cap.

Cap. XI. coram Examinatoribus Urbis, ſimul congregatis, non paucioribus, quam tribus. Conſtitutio Sa. Me. Alexandri VII. pro promovendis in Urbe.

VIII. *EXERCITIORUM SPIRITUALIUM*, ut ſupra *Cap. 1. n. 9.*

IX. *CATECHISMI*, ut ſupra *Cap. 1. num.* 10.

Ad Acolytatum aſſumendi, ultra prædicta.

*Baptiſmi* fidem pręſentare debent, ut eos duodecim annorum ætatem habere conſtet. *cap. in ſingulis. diſtin.* 77.

## ADNOTATIONES.

### *NOTA PRIMO.*

PRimum documentum, quod ad Minores promovendi exhibere tenentur, eſt Fides, ſeu Teſtimonialis Tonſuræ, ſeu ordinis ultimò ſuſcepti; hæc autem Teſtimonialis, ad hoc requiritur, ut certò conſtet, eos fuiſſe promotos, & quidem ritè, & re-

rectè, ac ſervatis ſervandis, nempe a Vicario Urbis, vel ejus Vicesgerente, ſeu de ipſorum reſpectivè licentia, ab alio Catholico Antiſtite, gratiam, & communionem Sanctæ Sedis Apoſtolicæ habente; Nam ordinatum abſque prævia prima Tonſura eſſe ab ordinibus ipſo facto ſuſpenſum, docent Sperellus *Deciſ.* 114. Barboſa *de Officio, & poteſtate Epiſcopi. Allegat.* 47. *n.*7. Horum ratio eſt: quia (etiam præſcindendo ab ea queſtione, in qua Theologi, à Canoniſtis diſſident, an prima Tonſura ſit Ordo) negari non poteſt juxta omnes, ipſam eſſe primum gradum ad Ordines, & eorum fundamentum, ac ordinum inſtar, in conſuetis Eccleſiæ ordinationibus confertur: & propterea Cap. *cùm contingat* 11. de ætate, & qualitate præficiendor. dicitur: *Per primam Tonſuram, juxta formam Eccleſiæ datam, Clericalis ordo confertur*. Accedit declaratio S.Congregationis, allegata à Gallematt. ad Tridentinum, ſeſſ.2.de Reform. cap.14. qua declaratum eſt, eos, qui abſque prima Tonſura ordines ſuſcipiunt, à ſic ſuſceptis eſſe ſuſpenſos. Hunc tamen Authorem, ab iis quidem ſic citatum legi, ſed quæſitum invenire, & in ſuo fonte legere non potui, quemadmodum nec laudatam ab ipſo S.Congregationis declarationem. Et

Et ſuppoſito, quòd quis, abſque prævia prima Tonſura ſit ordinatus, ac propterea ſuſpenſus; ſi is in ſuſcepto ordine, non miniſtravit, poteſt diſpenſare Epiſcopus in ſuſpenſione, ita tamen, ut prius omiſſam Tonſuram recipiat, vigore *cap. unici de Clerico per ſaltum promoto*; cum in Conc. Trid. *Seſſ.* 23. *de Reform. cap.*14. ſtatuatur: *cum promotis per ſaltum, ſi non miniſtraverint, Epiſcopus, ex legitima cauſa poſſit diſpenſare*: ex hoc autem, quod dicat Concilium: *ſi non miniſtraverint*: e contrario ſenſu infertur, quod ſi miniſtraverint, Epiſcopus diſpenſare non poteſt. Hoc tamen intelligendum eſt pro caſu in quo delictum non ſit occultum: nam ſi occultum ſit, poteſt Epiſcopus, tam in Irregularitate, quam in ſuſpenſione diſpenſare, ex vi Conc. Tridentini Seſſ.24. de Reform. cap. 6. ubi dicitur: Liceat Epiſcopis in Irregularitatibus omnibus, & ſuſpenſionibus, ex delicto occulto provenientibus &c. diſpenſare.

## *Formula autem dictarum Teſtimonialium eſt ſequens.*

„ UNiverſis, & ſingulis, præſentes noſtras viſuris, lecturis pariter, & audituris, notum facimus, & atteſtamur

Il-

„ Illuſtriſſimum,& Reverendiſſimum P.D.
„ N.N. Epiſcopum N. Suffraganeum, &
„ Vicesgerentem Noſtrum &c. Romæ die
„ Sabbato quatuor temporum .... Menſis
„ .... Anni ... in Sacroſancta Lateranen.
„ Baſilica, inter Miſſarum Solemnia, ordi-
„ nationem generalem celebrantem, inter
„ alios, dilectum Nobis in Chriſto filium
„ N. N. Romanum, prævio examine a
„ RR. PP. DD. Examinatoribus in Urbe
„ deputatis, idoneum repertum, & ad-
„ miſſum, cum cæremoniis, & ſolemni-
„ tatibus neceſſariis, & opportunis, in
„ ſimilibus fieri ſolitis, & conſuetis, ju-
„ xta, & ſecundum S. R. E. ritum, morem,
„ & conſuetudinem ad Ordinem... ( ſi
„ ordo eſt Sacer exprimitur titulus ) præ-
„ viis exercitiis ſpiritualibus, in Domino
„ promoviſſe, & ordinaſſe. In quorum
„ omnium, & ſingulorum fidem, has præ-
„ ſentes literas, a Nobis, ſeu ab Illuſtriſſi-
„ mo, & Reverendiſſimo P. D. Vicesge-
„ rente, & D. Secret. Noſtris ſubſcriptas,
„ ſigilloque noſtro munitas, fieri juſſimus.
„ Datum Romæ ex Ædibus Noſtris hac
„ die ... Menſis .... Anno ... Indictione
„ .... Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto
„ Patris & D. N. P. ....... divina provi-
„ dentia Papæ .... anno ejus ...

NO-

## NOTA SECUNDO.

Requiritur ſecundo, in promovendis ad Minores Ordines, & multo magis ad Sacros, quod Servitium præſtiterint Eccleſiæ, cui ſunt adſcripti, ac Chriſtianam Doctrinam docuerint, ut theoricè, & practicè addiſcant virtutes, ritus, & ceremonias Eccleſiaſticas, ut in operibus pietatis ſe exerceant, & documenta ſuæ probitatis præbeant, ut Diſciplina Eccleſiaſtica, lege Domini, & Myſteriis Religionis noſtræ imbuantur: juxta diſpoſitionem cit. Conc. Trid. *Seſſ.* 23. *cap.* 11. Hinc ergo quodnam fieri valet argumentum pro his, qui, vel temerè, aut ſuperbè, aut neſcienter ad Ordines celeriter evehi ambiunt, interſtitiis non ſervatis? Nec Interſtitia ipſa obſervare ſufficit, ſi tempus, in eo, ad quod deſtinata ſunt hæc intervalla, non inſumitur; & ideò inquit hic opportunè Hallier *pag.* 897. *n.* 3. *At nunc neſcio, qua illuſoria Concilii interpretatione, reperias quoſdam interſtitiorum gnaros, & ſedulos obſervatores, qui tamen tota iſta tempora effluere ſinunt, non pietatis incremento, non Doctrinæ uberioris acquiſitione, non Diſciplinæ ſtudio eadem impendi curant: cum tamen fruſtra inter ſingulos Ordines*

*nes temporum intervalla ſerventur, niſi per ea in omni virtutum genere, ſed præſertim in Eccleſiaſticæ Diſciplinæ agnitione, & Sacrorum officiorum uſu, atque Doctrina Ordinandi provectiores evadant*

Et Concilium Romanum *Tit. VI. cap.* 2. diſponit, quod Clerici, etiam ſi Beneficia, vel officia Eccleſiaſtica non obtineant, Eccleſiæ ſervitio, cui ſunt adſcripti, Feſtis diebus ſingulis, præſertim ſolemnioribus intereſſe debeant, propria ibi munia obituri, alias ad altiores gradus minimè promoveri debeant, & jam promoti Epiſcoporum arbitrio, pro inobedientiæ gravitate multentur. Creſcente verò contumacia, Epiſcopi ultra pœnas a Tridentino Concilio indictas, poſt trinam canonicam monitionem contra inobedientes, & contumaces, procedere debeant ad omnium, uſque privilegiorum clericalium privationem, ſervata forma Conſtitutionis S. M. Benedicti XIII. quæ incipit *Catholicæ Eccleſiæ Regimini*, Editæ de anno 1725. ſexto Non. Maii.

## NOTA TERTIO.

Concilium Trid. duplici in loco mentionem facit de Ordinibus minoribus, & primo quidem *Seſſ.* 23. *cap.* 5. *de Re-*

*Reform.* ubi ſic : *Ad Minores Ordines promovendi, bonum a* Paroco, *& Magiſtro Scholæ, in qua educantur teſtimonium habeant*. Hujus igitur Decreti vigore, ad Minores promovendi, inter alia Requiſita, bonum a Paroco teſtimonium reportare tenentur; quod tamen eis a Parocho concedendum non eſt, niſi perſpectis, & probatis prius moribus, & vita, factàque diligenti inquiſitione a perſonis fide dignis, nec non expectato opportuno tempore, ut tempus ipſum, experientia magiſtra, operationes, & inclinationes aperiat; quæ diligentiæ, & perquiſitiones, etiam pro minimo gradu, & præcipuè pro evehendis ad primam Tonſuram adhibendæ ſunt, quia ut ait S. Leo Papa, *in cap. miramur*. *Difficile eſt, ut bono peragantur exitu, quæ malo ſunt inchoata principio*.

Quod ſi in ipſa inquiſitione, Parochus compererit, Ordinandum, vitam, moreſque ſuos, quales in ſortem Domini vocatum habere decet, nequaquam ducere, vel aliquod canonicum obſtare impedimentum, propter quod, à ſuſcipiendis Ordinibus arceri, ſeu retineri debeat, Eminentiſſimum Vicarium Secretò certiorem facere tenetur; immò Atteſtatio a Paroco conficienda, de inquiſitione facta, & de eo,

quod per talem inquiſitionem compererit, ſive boni, ſive mali, non niſi benè clauſa, & Sigillo, ad modum Epiſtolæ munita, petenti conſignanda, vel ad Secretariam Tribunalis tranſmittenda eſt, ad formam infraſcripti mandati Sanctitatis Suæ.

„ Per Ordine della Santità di Noſtro Si-
„ gnore, datoci coll'oracolo della ſua viva
„ voce, ſi ordina, e comanda a tutti li
„ RR. Parochi di queſt' Alma Città, che
„ in avvenire, prima di fare l'atteſtato ſo-
„ pra la vita, e coſtumi degli Ordinandi,
„ tanto alla prima Tonſura, che minori,
„ e Sagri Ordini, dimoranti nelle loro ri-
„ ſpettive Parocchie, debbano prendere
„ eſatta, e diſtinta informazione de loro
„ portamenti, e ſe abitano in caſe one-
„ ſte, ed immuni da ogni ſoſpetto, per po-
„ tere il tutto riferire in detto atteſtato;
„ Ed affinche li medeſimi Parochi poſſano
„ liberamente, e ſenz' alcun riguardo,
„ o timore paleſare quello, che ad eſſi foſ-
„ ſe ſtato denunziato, dovranno conſe-
„ gnare il medeſimo atteſtato ſigillato in
„ forma di Lettera, a chi ne farà iſtanza,
„ o pure traſmetterlo, parimente ben ſi-
„ gillato alla Segretaria del noſtro Tribu-
„ nale, dove ſaranno tenuti ſegreti, ne
„ ſarà detto atteſtato in altra forma rice-

„ vuto,

„ vuto, e ciò ſotto pena a noſtro arbitrio.
„ Dato in Roma dalla Noſtra ſolita Reſi-
„ denza li 21. Gennaro 1741.

## F. G. A. Card. Vic.

*G. Ori Segretario.*

Aliquando etiam informatio, aliis, quibus expedire magis videtur committitur, ut quando Parochi ſunt valdè amicitiâ, aut propinquitate conjuncti, cum ordinandis, vel in aliquo ab ipſis, aut eorum cognatis dependentes, vel inter ipſos, odia aliqua, ſeu lites interceſſerunt &c. Siquidem, tunc præſumi prudenter poteſt, amoris, aut odii affectiones, quæ adeò hominibus Dominantur, intellectum eorum præpedere, ne liberè, & ſincerè veritatem agnoſcant, ſicque teſtimonium falſum ſit, licet illud præbens, fortaſſè tale eſſe, non animadvertat, experimento enim diſcimus, quàm valdè verum ſit axioma illud Philoſophi: *Unuſquiſque judicat, prout affectus eſt.*

In aliquibus Diæceſibus, nedum ex hac ratione, verùm, & præſcindendo ab ea, ſtylus eſt, committendi informationem Vicariis Foraneis, velut Miniſtris Superin-

tendentibus, qui ſupponuntur habere non Minorem vigilantiam, & Zelum, quàm Parochi.

Magiſtri quoque, circumſpecti eſſe debent in atteſtatione, quam de Ordinando faciunt, jus enim Conciliare, & Canonicum, plurimum eorum defert teſtimonio, & meritò; quoniam ex frequenti Diſcipuli converſatione poſſunt penetrare indolem, ingenium, & propenſiones illius, vocationem ad ſtatum Eccleſiaſticum, affectionem ad miniſteria Clericalia, & exercitia virtutum.

Secundo loco, Concilium Trid. loquitur de Minoribus Ordinibus cap. XI. ejuſdem Seſſionis, ubi ſic decernit: *Minores Ordines, iis, qui ſaltem linguam latinam intelligant.... Conferantur*. Ad Minores igitur promovendi, examinari debent ſuper intelligentia latinæ linguæ, quod juxta metodum a Sancto Carolo Boromeo præſcriptam obſervatur in Urbe; exhibentur enim Ordinandis explicandæ Lectiones Hiſtoricæ ſecundi nocturni Sanctorum, quæ ſunt in Breviario Romano, quæ, prævia gramaticali conſtructione, explicari debent, ponendo ſuis locis adverbia, verba, nomina, & caſus &c. deinde interrogantur ſuper his, quæ ad dictos Ordines pertinent,

nent, de quibus in ultimo hujus libri capite, agemus.

## *NOTA QVARTO.*

ET ſi omnia documenta, ſupra enumerata, ab Ordinandis rigoroſè exigenda ſint, ſtrictius tamen, & rigoroſius inquirendum, an per tempus præfinitum, Congregationem, in Domo Miſſionis, ſanctiſſimè, ut præmiſimus inſtitutam, ac loco Seminariorum, mirabili cum incremento, ſubrogatam, frequentaverint; ibi enim per Patres deputatos, quaſi bonos Paſtores, vigilias noctis cuſtodientes, in Eccleſiaſtica diſciplina, ſacriſque ritibus accuratè inſtruuntur, ac ita divini verbi prædicatione, Sacrorum librorum lectione, oratione, & meditatione in lege Domini erudiuntur, ut nihil omninò deſideretur, ad illam acquirendam ſapientiam, quæ de cælo eſt, quæque ab Eccleſia in Ordinandis exigitur, ſimul cum probis moribus, ac diuturna juſtitiæ obſervantia.

Ab hac tamen obligatione, non ſolùm ſunt exempti Scholares Collegii Romani, qui prima Tonſura initiari cupiunt, ut dixi in adnotatione tertia præcedentis Cap., ſed etiam ad Minores promovendi, dummodo Scholas, & reſpectivè Congregatio-

nes in eodem Collegio frequentent, immò etiam ad Subdiaconatum aſſumendi, per ſex menſes dumtaxat, ab eadem obligatione exemptionis privilegio gaudent, vigore reſcripti Sanctiſſimi, ad preces R. P. Burgundii, præmemorati Collegii Rectoris, ut infra, obtenti. *Ex audientia Sanctiſſimi die* 20. *Januarii* 1741. *Sanctiſſimus benignè annuit pro gratia exemptionis promovendorum ad quatuor dumtaxat Minores Ordines; atque ulterius indulſit, ut ceteri Clerici Univerſitatis Oratricis, Sacrum Subdiaconatus ordinem aſſequi valeant, prævia intereſſentia Congregationibus in Domo Miſſionis Urbis, per ſex tantùm Menſes: In reliquis mandavit ſervari diſpoſita in Notificatione Typis impreſſa, & publicata poſtridie Kalend. Decembris, anni mox elapſi, quibuſcunque non obſtantibus.*

F. J. A. Cardinalis Vicarius.

## *NOTA QUINTO.*

IN præcitato Cap. Concilium Tridentinum diſponit etiam, quod *Minores Ordines, per temporum interſtitia, niſi aliud Epiſcopo expedire magis videatur, conferantur.* Hæc Interſtitia, ſunt intervalla, ſeu ſpatium temporis, quod mediare debet inter unam, & alteram Ordinis receptionem,

ex

ex antiquiſſima Eccleſiæ conſuetudine, licet in quantitate temporis, ſeu intervalli, fuerit aliqua variatio, & non in ſingulis gradibus fuerit æqualis mora, ut videri poteſt apud Hallier. *de Sacr.Elect. & ordin. ſeſſ.7. art.7.*

Tridentinum dicto *Cap.11. & cap. 13. & 14. Seſſ.23.* mediocritatem noſtris temporibus convenientem,tàm proSacris,quàm pro Minoribus Ordinibus amplexum eſt, temperando quidem antiquorum canonum rigorem, diſciplinam verò Eccleſiaſticam minimè relaxando. Pro ordinibus minoribus, temporis intervallum, non determinat, ſed prudentiæ Epiſcopi relinquit deſignare quantitatem temporis, quod mediare debet, & etiam ſuper hoc ipſo diſpenſare. Aliqui dicunt, quod ſufficit intervallum unius Dominicæ, ad aliam; alii verò,quod deſignentur interſtitia, ab una Ordinatione generali, ad aliam. Ita Hallier, ubi ſupra, ad minus generaliter de omnibus loquendo; ſiquidem, licet ordines Minores, conferri poſſint qualibet Dominica, aut die Feſtivo duplici *Pontif. Rom. tit. de Min. Ord.* non tamen pluribus, ita ut videatur generalis ordinatio fieri, quæ ſolis præſcriptis a jure temporibus, etiam quoad Minores eſt peragenda, *Cap. de eo,de*

*temp. Ord.* ſed paucis, ideſt illis, cum quibus videtur Prælato ex juſta cauſa diſpenſare, ſeu interſtitiorum intervalla contrahere.

Stando litteræ textùs Tridentini, poteſt Epiſcopus diſpenſare, aut non obſervare præfata interſtitia, ſi id ei expedire magis videbitur, hoc eſt ex rationabili cauſa, ut explicat Marchin. *trac.1. de ord. p.7. cap.1. n.6.* qualis eſſet ætas proveſta ordinandi, quando hic ſecum affert ſcientiæ, & morum commendationem, futura abſentia ſtudiorum cauſa, &c.

Emus verò Urbis Vicarius, juſta interveniente cauſa, non aliàs diſpenſat, quàm, ut quatuor Minores, in duabus vicibus recipiantur; quod ſi nulla interveniat cauſa, nec quidem pro duobus diſpenſat, præſertim cum illis, qui vigeſimum ætatis annum, nondum attigerunt.

Dixi, Minores Ordines conferri poſſe, qualibet Dominica, aut die feſtivo duplici; dubitatur tamen ab Auctoribus, an appellatione diei Feſti, comprehendatur Feſtum, in quo ab Eccleſia ſit Officium, an verò debeat eſſe Feſtum, quod a Populo colatur. Utramque opinionem probabilem exiſtimat Tambur. *de Jure Abbat. tom.2. diſput. 13. num.7.* doctoribus hinc inde addu-

ductis; ſed omnis dubitatio de medio ſublata eſt a Sac. Congregatione Concilii, quæ, ut refert Fagnan. in cap. *de eo, de temp. Ord. num.* 42. *Cenſuit comprehendi dies feſtos, qui a populo ſervantur, toto titulo de fer. de conſecr. diſt.* 3. *cap.* 1. *&* 12. *Seſſ.* 25. *Concilii Trid. de Regular.*

## NOTA SEXTO.

QUamvis controverſia ſit inter Doctores, ſuper ætate requiſita pro Ordine Acolytatus, ut videri poteſt apud Fagnanum. *ad primam partem tertii libri Decretal. in cap. ſuper inordinata de Præbend. n.* 19. *& ſeqq.* Nihilominus in Urbe, èx antiquiſſimo ſtylo, nemo ad dictum ordinem admittitur, niſi ſaltem duodecimum ſuæ ætatis annum attigerit.

Iſte autem Ordo, ſicuti alii tres minores, conferri poſſunt, tàm in Miſſa, quàm extra Miſſam, dummodo tamen conferantur de manè, ut expreſſum habetur in Pontificali Romano, ſub *Rubric. de collat. Ord. Min.* & notat Biſſus. *verb. Acolythi. n.* 119. §. 3. ubi advertit, quod ſi quatuor Minores Ordines conferantur in Miſſa, habente ſeptem lectiones, ſeu Epiſtolas, Oſtiariatus Conferendus eſt poſt primam Epiſtolam, Lectoratus poſt ſecundam, Exorciſta-

tus

tus poſt tertiam, & Acolytatus poſt quartam. Quod ſi Miſſa, unicam tantum habeat Epiſtolam, omnes prædicti Minores Ordines, & eorum ſinguli, dandi ſunt poſt recitationem *Kyrie eleiſon*.

Quod ſi quis, eàdem die ordinaretur ad Minores, & Subdiaconatum, Epiſcopo non contradicente, ſed ſic volente, juxta aliquos, & ſi graviter ſolúm peccaret, nullam tamen pœnam incurreret, quia textus *in cap. 2. de eo, qui fur. Ord. ſuſcip.* & alii procedunt in eo, qui clandeſtinè ſe immiſcet, & temerario auſu recipit Ordinem Subdiaconatus, cum Minoribus, vel duos Sacros eodem die. *Cap. Litteras, cap. Dilectus de temp. Ord. & Concil. Trid.* procedunt in recipiente duos Ordines Sacros eodem die, ut incurratur ſuſpenſio latæ ſententiæ per ordinatum. Gonzal. *Cap. dilectus* 14. *num.* 11. *in fine* Barb. *cap. veniens num.* 61. *de Exceſſ. Prælat.* Tamen videtur magis conſona, & communior opinio, quod incurrat ordinatus ſuſpenſionem ab ordine ſuſcepto Subdiaconatus, explicantes ſic Textum; Bonac. *de Suſpenſ. tom.* 1. *diſp.* 3. *punct.* 5. §. 1. *num.* 4. Barb. *ad Conc. Trid. Seſſ.* 23. *cap.* 13. *num.* 14. *de Reform.* & alii quàmplurimi.

Epiſcopus verò, ſic ordinans, vel etiam ordi-

dinans extra tempora,non incurrit ſuſpenſionem aliquam, quia,quo ad Conferentes, etiam duos Sacros Ordines eodem die, dicitur pœna ſuſpenſionis eſſe tantum ferendæ ſententiæ, ut de communi teſtatur Theſaur.*de Pœnis, par.*2.*cap.*15.*num.*4.Ut enim Epiſcopi ſubjiciantur Cenſuris, fieri debet de iis ſpecialis mentio. C*ap.* P*rivilegio, de Sent. excommunicat. in 6.* poteſt tamen puniri.

## *NOTA SEPTIMO.*

CLerici, qui non deferunt Clericalem Tonſuram, non admittuntur ad ordines, quia ex hujuſmodi defectu, magnum indicium oritur, eos veram vocationem non habere ad Statum Eccleſiaſticum, ſed Sæcularis Judicii fugiendi cauſa, & non Deo fidelem cultum præſtandi, hoc vitæ genus elegiſſe.

CA-

# CAPUT TERTIUM

## Requiſita Romanorum, ad Sacrum Subdiaconatùs Ordinem aſſumendorum.

I. B*APTISMI FIDES*, ut de viginti duorum annorum ætate conſtet, Concil. Trid. *Seſſ.* 23. *Cap.* 12. *de Reform.*

II. Beneficium Eccleſiaſticum, ad vitam honeſtè ſubſtentandam ſufficiens, quod pacificè poſſideatur. Trid. *Seſſ.* 21. *cap.* 2. *de Reform.* In Alma Urbe, de ſtylo debet eſſe annui redditus ſcutorum ſexaginta.

III. *PATRIMONIUM* verò, vel *PENSIONEM* obtinentes, ordinari non poſſunt, niſi prævia diſpenſatione SS. D. Noſtri Papæ, eo quoque prius perſpecto, Patrimonium il-

illud, vel Penſionem, verè ab iis poſſideri, ac id generis eſſe, ut illis, ad honeſtè vivendum, ſint ſatis (nempe ſcutorum ſexaginta in Urbe) Concil. Trid. *Seſſ.* 21. *de Reform. cap.* 2. *Sac. Congr. Concil. Epiſtola, de mandato Sa. Me. Innocentii* XI. *ſub die* 13. *Maii* 1679.

IV. *ORDINUM SUSCEPTORUM FIDES*, ex qua, unius anni ſpatium, a ſuſceptione Acolytatus, elapſum conſtet, niſi neceſſitas, vel Eccleſiæ utilitas, judicio Emi Vicarii, aliud expoſcat. Trid. *Seſſ.* 23. *cap.* 11. *de Reform.*

V. *PAROCHI, VEL RECTORIS* Eccleſiæ, cui ſunt adſcripti, fides, ex qua ipſos, in Minorum Ordinum exercitio, verſatos conſtet, niſi fortè ſtudiorum cauſa abſint. Conc. Trid. *Seſſ.* 23. *cap.* 11. *de Reform.*

VI. *DE VITA*, moribus, & frequen-

quenti SS. Corporis Chriſti communione, nempe ſingulis quibuſque quindenis diebus, ultra ſolemniores anni Feſtivitates. *Trid. loco cit.* & cap. 13. de Reform. ac Conc. Rom. Tit. 16. de vita, & honeſtate Clericor. cap. 5.

VII. *SUPERIORIS DOMUS MISSIONIS* atteſtatio, ex qua conſtet, ipſos, per annum integrum, Congregationem frequentaſſe *ex Notificat. cit. cap. 1. num. 5.*

VIII. *STUDII* integri anni Theologiæ Moralis, aut Scholaſticæ, vel Juris Canonici, *ex ſupra cit. Notificatione.*

IX. *PUBLICATIONES* Nominum, cognominum, ac deſiderii eorũ, qui promoveri exoptant, publicè faciendæ, in Sacroſancta Lateranen. Baſilica, & in propria Parochiali Eccleſia, a Parochis earumdem, juxta formulam Typis impreſſam, ac

te-

teſtimoniales dictorum Parochorum, quod prædictæ Publicationes factæ fuerint, & nullum canonicum impedimentum fuerit deductum. *Trid. Seſſ.* 23. *cap.*5. *& Conſtitutio S. M. Alexandri VII, de promovendis in Urbe*. Quæ Publicationes de Stylo fieri debent tribus diebus feſtivis de præcepto.

X. *CATECHISMI FIDES*, ut ſupra, cap. 1. num. 10.

XI. *EXAMEN*, *Conc. Trid. Seſſ.* 23. *cap.* 7. *de Reform.* coram Examinatoribus in Urbe doputatis, non paucioribus, quàm tribus, ſimul congregatis, & approbatio *d. Conſtit.* S. M. Alexandri VII.

XII. *EXERCITIORUM SPIRITUALIUM* decem dierum ſaltem ſpatio, ante ſuſceptionem dicti Sacri Ordinis peractorum, Teſtimoniales, *cit. Conſtitut. Alexandrina*.

XIII. Denique juxta diſpoſitionem *Conc. Romani, Tit. XXX. de Magiſtris, cap. 2.* omnes, ad Sacros Ordines promovendi, per ſex ſaltem menſes continuos, ante Ordinationem, in Domo Miſſionis, commorari debent.

Et hìc opportunè advertendum, quod ſupradicta requiſita ( excepta fide exercitiorum ) exhibenda ſunt ab Ordinandis, antequàm dictis Exercitiis vacent; nec in præfata Miſſionis Domo recipiuntur, niſi habeant habitum talarem, & debitam Tonſuram, ita ut aures pateant, & coronam in vertice capitis, Ordini congruentem, & niſi accedant ad dictam domum decima die ante Ordinationem, nempe Feria quarta, hora 22. Inſuper debent ſecum afferre Breviarium, Biretum Clericale, & Superpelliceum, ut divinis officiis va-

le-

leant aſſiſtere; denique in promptu habere debent pro Sabbato Ordinationis, Amictum, Albam, Cingulum, & Candelam, ſaltèm unius libræ, ac pro Presbyteratu etiam Miſſale, & Sudarium, quæ omnia reſpectivè obſervanda ſunt, etiam à promovendis ad Diaconatum, & Presbyteratum.

## ADNOTATIONES.

### *NOTA PRIMO.*

IN promovendis ad Subdiaconatum, juxta mentem citati Concilii, requiritur ætas annorum viginti duo; Sufficit tamen, quod annus vigeſimus ſecundus ſit inceptus, & qui ad dictum, vel alios Sacros Ordines ante legitimam ætatem promovetur, & ſi caracterem Ordinis recipiat, remanet tamen perpetuò ſuſpenſus ipſo jure, & ſi ante legitimam ætatem, durante ſuſpenſione, antequàm ab ea abſolutus ſit, in ſuſceptis ordinibus miniſtrare præſum-

pſerit, eo ipſo irregularitatem incurrit, juxta Conſtit. Pii II. *la* 7. *Bullar. nov. tom.* 1. cujus diſpoſitio, locum obtinet etiam in Regularibus, ut communiter tradunt. Pax Jord. *Lucubr. tom.* 1. *lib.* 3. *tit.* 6. *num.* 211. Pirhing. *in Jus Can. lib.* 1. *tit.* 11. *n.* 95.

Et quamquam Conſtitutio prædicta non comprælendat Ordinatos ad Minores Ordines, ut ex ſententia magis communi DD. tenent, Quarant. *in Summ. Bullar. verbo ordo. verſ. Secundo, pag.* 377. Pax. Jord. *loco citato n.* 215. Pirhing. *ibid. num.* 96. *verſ. notandum*. Attamen, tàm hi, quam primi, propter crimen falſitatis, poſſunt ab Ordinario Excommunicatone puniri, attanta culpæ gravitate. Bonac. *de Suſpenſ. diſput.* 3. *punc.* 5. *num.* 2. *verſ.* 5. *recipientem*, dummodo falſitatis conſcii ſint.

An autem Cardinalis Vicarius, aliique Epiſcopi, abſolvere poſſint a ſuſpenſione incurſa ob promotionem ad Sacros Ordines antè debitam ætatem, contra prohibitionem dictæ Extravag. Pii II. vigore Trid. *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. *de Reform.* affirmat Pax Jord. loco, quo ſupra citato, *num.* 214. donec delictum remanet occultum; immò etiam ab irregularitate, ex eàdem cauſa contracta, in foro conſcientiæ diſpenſare

poſ-

Digitized by Google

poſſe, ſi delictum eſt occultum, tenet Quarant. *Loco quo ſupra, verſ. ſecundo limita*. Si autem non eſſet amplius occultum, abſolutionem ſuſpenſionis, & irregularitatis diſpenſationem, ad Papam pertinere, tenent Bonac. *de Suſpenſ. Diſp.* 3. *punct.* 5. *verſ.* 3. *hujus ſuſpenſionis*. Sayr. *de Cenſur. lib.* 4. *cap.* 14. *num.* 11. *& lib.* 7. *cap.* 10. *num.* 36.

## NOTA SECUNDO.

QUamvis Sacra Congregatio Concilii pluries decreverit, quod in dignoſcenda ſufficientia redditũum Beneficii, illius, qui ad Sacros Ordines petit promoveri, onera Miſſarum non ſint detrahenda, niſi Beneficiatus, caſu quo fuerit impeditus, teneatur per alium celebrare, & dummodo Ordinandus, donec aſcendat ad Sacerdotium, pro rata Miſſarum, aliunde habeat, quo vivere poſſit: Ita cenſuit *in Tiburtina Ordinationis 8. Julii* 1690. quam reſolutionem confirmavit, & ſequi poſſe poſt Bullam Innocentianam. Declaravit eadem *Sac. Congregat. in Signina Ordinationis* 14. *Aprilis* 1696. *& in Neapolitana ſeu Scalen.* 19. *Februarii* 1701. Ex quibus declarationibus apertè dignoſcitur, quod quando Beneficium non habet annexam obliga-

tionem, quod Beneficiatus teneatur celebrare per ſeipſum, ſemper onera Miſſarum ſint detrahenda, & ratio eſt, quia cum Beneficium ſervire debeat pro ſuſtentatione Ordinati, ſi iſte ratione abſentiæ, Irregularitatis incurſæ, morbi incurabilis, vel delicti, ſe impotentem redderet ad celebrandas per ſeipſum Miſſas Beneficio injunctas, & ita per alium, oneribus ſatisfactis, diminutionem reddituum pati deberet, non amplius ratam pro congrua ſuſtentatione remaneret. Nihilominus, cum de anno 1723. Joſeph Bellucci Diæceſis Ariminen. recurſum habuiſſet ad dictam Sacram Congregationem, ut onera Miſſarum ex ſolita congrua detrahenda non eſſe decernere dignaretur. Dicta Sacra Congregatio, pro meliori dubii delucidatione, mandavit DD. Dominico Advocato Urſaja, & Cajetano Yvones, Tribunalis Vicariatus Foſcali, ut ſuper expoſito dubio, quid ipſi ſentirent pro veritate ſcriberent; confectiſque per eoſdem ſcripturis, ac Typis demandatis, poſt maturam ipſarum conſiderationem, eadem Sacra Congregatio a deciſis recedendo, ſub die 17. Julii 1723. reſcripſit: *Relinquendum eſſe arbitrio, & conſcientiæ Ordinariorum*. Stante hac reſolutione, & ſi Emus Urbis Vicarius, antiquo-

quorum decretorum rigorem, ut plurimum ſervari mandaverit, attamen aliquando juſtis, ac rationabilibus de cauſis, Beneficia, & Cappellanias, annui redditus ſcutorum Sexaginta, quotidiano Miſſæ onere non deducto, pro Titulo Sacrorum Ordinum admiſit, & approbavit.

Cappellanias verò, de ſui natura amovibiles, & manuales, ſeu cum hac lege fundatas, quod Cappellanus electus, amoveri non poſſit, niſi in caſu, quo deficeret in celebrando, nunquam admiſit, nec admitti ullatenus poſſunt, ut declaravit *Sac. Congregatio Concilii, in Sabin.* 15. *Nov.* 1687.

Primum enim requiſitum, quod Cappellaniæ, & quæcunque Eccleſiaſtica Beneficia habere debent, ut deſervire valeant pro titulo Sacrorum Ordinum Clericis Sæcularibus, eſt perpetuitas. Sanchez *in conſil. Moral. lib.* 7. *cap* 1. *dub.* 25. *num.* 5. Secundum; ut Ordinandus habeat pacificam poſſeſſionem; non enim ſufficit nominatio, præſentatio, electio, aut etiam inſtitutio, ſed debet eſſe inductus in poſſeſſionem, & quidem pacificam; quæ talis eſſe cenſetur, quando circa eam, nulla eſt lis, vel controverſia juris, vel facti, in judicio, vel extra. Felinus *in cap. cum Joannes, num.* 33. *de Fide Inſtrum.* Idcircò, lite extante, ab

Ordinatione, eſt abſtinendum, ſivè lis ſit ſuper proprietate Beneficii, ſeu Cappellaniæ, ſive ſuper ſola poſſeſſione. Tertium requiſitum eſt, ut Beneficium, vel Cappellania ſit ſufficiens, (ut ſupra dictum eſt) ad alimentationem Subdiaconi Ordinandi.

Neque admitti poteſt pro Titulo Sacrorum Ordinum aſſignatio Menſæ, obtenta ab Aliquo Principe, quouſque proviſus fuerit Ordinandus de Beneficio ſufficienti, vel de aliis bonis, unde vivere queat, ſaltem in Urbe, totaque Italia, ut declaravit *eadem Sac. Congregatio in Florentina* 28. *Junii* 1704.

Qui verò obtinuit Beneficium, non habens alios redditus, præter diſtributiones, poteſt ad ipſius Titulum promoveri, dummodo Taxam exæquent, ita Barboſa *in Concil. ſeſſ.* 21. *cap.* 2. *de Refor.* Pax Jord. *Elucubr. volum.* 1. *lib.* 3. *Tit.* 6. *n.* 318. Et ratio, quia ad hoc ut Beneficium ſervire valeat pro titulo, ſolummodo requiritur, quod per ſe habeat ſufficientes redditus ad congruam vitæ ſuſtentationem, quos habere, inde patet, cum titulo Beneficii, jus habeat Beneficiatus ad diſtributiones, veluti ad proprios Beneficii redditus. Nec obſtat, quod diſtributiones, non computantur in valore Beneficiorum, nec compre-

prehenduntur ſub nomine fructuum, ut declaravit Rota *Deciſ.* 134. *ſive* 8. *de Præben. in noviſſim. & Deciſ.* 766. *alias* 39. *in Antiquis*. Reſpondetur enim primo, quod licet non comprehendantur ſub nomine fructuum, comprehenduntur tamen ſub nomine reddituum, ut cenſuit. *Rota coram Coccino deciſ.* 144. *n.* 11. *apud Barboſam de appellat. verbo appellat.* 231. *n.*6. Secundo, quod nomine fructuum intelliguntur diſtributiones, quando Beneficium aliis fructibus caret, ſolumque diſtributionibus gaudet, ut docet Barboſa citatus *Appell.* 103. *num.* 17.

Similiter Coadiutor alicuius dignitatis, vel Canonicatus, cum futura ſucceſſione poterit ad Sacros Ordines promoveri, Titulo Coadiutoriæ, ſi ipſi congrua portio, aut penſio per Coadiutum aſſignetur ex fructibus Præbendæ ejuſdem dignitatis, vel Canonicatùs, ſecus verò ſi congrua portio, aut penſio non aſſignetur. Garzia *de Benefic. part.* 5. *cap.* 2. *num.* 132. prout poteſt ordinari ad Titulum quotidianarum diſtributionum, quando certæ ſunt, ſecus autem ſi dependeant ab Eleemoſinis, aut aliis emolumentis incertis. Sed utrum Beneficio inſufficienti poſſit jungi aliqua pars Patrimonii, quæ reddat illud ſufficiens,

 & ſic

& ſic ad illius titulum ordinari? Affirmativè reſpondit Sac. Congregatio, quam refert Garzias *d. part.* 2. *cap.* 5. *num.* 111. ea ratione, quia non curatur de modo, quando haberi poteſt effectus, cumque ex duobus de perſe inſufficientibus, ſed unitis ſufficientiam cauſantibus, poſſit Subdiaconus honeſtè vivere, poterit ad talem titulum ordinari.

Praxis autem Curiæ Emi Vicarii, circa approbationem Beneficii, ut quis ad ipſius Titulum promoveri valeat, hæc eſt; Porrigitur ex parte Beneficiati ſupplex libellus Emæ ſuæ, obtentoque ab eadem reſcripto, quod ſolet eſſe tenoris ſequentis; *al Signor Segretario, che verificato l' eſpoſto, ne parli*: tenetur idem orator illud exhibere in Secretaria Tribunalis, una ſimul cum Bulla collationis, ſeu Inſtitutionis ad ipſius favorem factæ, ac documento in forma valida, actûs poſſeſſionis, ac inſuper probare, media Teſtium depoſitione, formiter examinatorum, ſeu aliis ſcripturis, & documentis publicis, quod Beneficii redditus, Taxam exæquent Romanam, quæ Documenta exhiberi etiam debent, caſu, quo Ordinandus ſibi aſſignaret pro Titulo aliquam Cappellaniam perpetuam, quæ in titulum collata eſſet, vel ſi eſſet manualis,

lis, nominatus fuiſſet ex Teſtamento, aut per publicum Inſtrumentum, ſui vita naturali durante, a Teſtatore, ita ut, neque ab Hæredibus, neque a quocumque alio removeri poſſit. His omnibus præmiſſis, ac probatis, factàque relatione Eñio Dño, conficitur juxta conſuetam formam decretum, quod ab Eña ſua, vel ab Illño, & Rño Dño Viceſgerente, & D. Secretario ſubſcribitur, ac cum præmemoratis documentis, vel ſaltem cum ipſorum copiis, in præfata Secretaria aſſervatur, ad hoc ut omni futuro tempore de legitimitate, & ſufficientia Tituli, ſimulque de juſtitia approbationis ejuſdem, conſtare poſſit.

Et ſic aſſignata, & approbata Beneficia & Cappellaniæ, nunquam dimitti, aut reſignari poſſunt ab Ordinato, ſub pœnis a Sacris Canonibus præſcriptis, & a Sacro Concilio Tridentino, *Seſſione* 21. *cap.* 2. *de reform. innovatis*, præter quam in caſu, quo de alio congruo Beneficio, ſeu Cappellania proviſus fuerit, & tunc de licentia ejuſdem Eñi Domini, facta prius recognitione, ut ſupra, & ſubrogatione in Titulum novi Beneficii, ſeu Cappellaniæ, quemadmodum declaravit *Sacra Congregatio Concil.* 12. *Julii* 1687. & in una *Senogallien.* 20. *Junii* 1705.

Poſ-

Poſſunt tamen ſic promoti, ſer. ſer. Beneficiis privari, ſi delinquant, vel non reſideant, vel aliud detrimentum habeant, non obſtante, quod ad eorum Titulum fuerint promoti, ut pluries declaravit Sac. Congreg. Conc. & in ſpecie *in Firmana* 30. *Maii* 1665. *in Romana* 18.*Martii* 1684. *& in Vercellen.* 15. *Decembris* 1696.

## NOTA TERTIO.

Beneficio deſtituti, & ſi juxta diſpoſitionem Tridentini,*Seſſione* 21.*cap.* 2. *de Reform.* ad Titulum Patrimonii, vel Penſionis ordinari poſſint, ſi neceſſitas, aut utilitas Eccleſiæ, judicio Epiſcopi, requirat, nihilominus in Urbe hujuſmodi Tituli nullatenus admittuntur, niſi ex ſpeciali commiſſione Papæ. Innocentius enim XI. (ut ex literis Sac. Cong. Concili, ſub die 13. Maii 1680.) ceterique Succeſſores Pontifices, ſibi hanc facultatẽ reſervarunt, reſpectu Romanorum, preceſque recurentium, remittere conſueverunt arbitrio Urbis Vicarii.

Conſtitutio autem dicti Patrimonii, regulariter fieri ſolet ab uno ex quatuor Notariis Vicariatus, quem maluerit Ordinandus, cum directione tamen D. Secretarii ejuſdem Tribunalis, nec conficitur In-

Inſtrumentum, niſi prius exhibeatur ſupplex libellus SS. Domino Noſtro porrectus, & ab eodem, arbitrio Vicarii remiſſus, & niſi recognita fuerit ſecuritas fundi, ſeu bonorum aſſignandorum, & quod ipſorum redditus, & proventus, ad ſcuta Sexaginta Monetæ Romanæ, deductis oneribus, annuatim aſcendant; & poſtquam confectum eſt Inſtrumentum, exhibetur ab ordinando copia in dicta Secretaria, qua viſa, & maturè conſiderata, ſi nihil in contrarium obſtat, approbationis Decretum ad calces prælaudati ſupplicis libelli, modo, quo ſupra dictum eſt, adjicitur.

Et ut in conſtitutione, ſeu aſſignatione hujuſmodi omninó fraudibus precludatur via, aſſignans bona patrimonialia debet præſtare cautionem de evictione, ac jurare, talem aſſignationem non eſſe fictam, & ſimulatam, ſed veram, & realem, quod etiam probandum eſt media Teſtium depoſitione, aliiſque documentis & cautionibus, prout exigent circumſtantiæ.

Ex quibus infertur. primo, bona in Patrimonium aſſignanda non debere eſſe Fideicommiſſo ſubiecta, aut quoviſmodo obligata, hypothecata, ſimulata, & fiduciaria, ſed ab omni, & quocumque one-

re

re omninò libera, & exempta; et qui hujuſmodi bona in Patrimonium aſſignavit, non debere eſſe taliter ære alieno, aut perſonalibus oneribus gravatum, ut alia bona pro ſui, & familiæ ſubſtentatione ſufficientia non remaneant.

Infertur Secundo; Patrimoniũ ſemel conſtitutum, non poſſe amplius revocari, prætextu, quod fuerit fictitiè conſtitutum, & donatum, nec admittitur conſtituens, aut donans ad allegandam, & probandam fictionem, ſed cogitur illud liberè ordinato conſignare; ſic reſpondit *Sac. Congr. Epiſc.* in una Januen. *6.* Settembris 1697. proponente Emõ Colloredo.

Infertur Tertio; Qui Titulum habet fiduciarium, ſcilicet cum pacto, & conventione occulta, ante ordinationem facta, de non petendo, vel reſtituendo, poſtquam Ordinatus fuerit, id, quod pro Titulo donatum fuerat, licet de juris rigore, & ſecundum mitiorem Doctorum ſententiam ſuſpenſionem non incurrat (ex quo dicatur cum titulo ordinari, & ejus promiſſio eſt valida) ut ex Doctrina Navar. *in Conſ.* 17. *de tempor. Ordin.* aliorumve DD. ſubſtinet Quarant. *in Summ. Bullar. Verbo Ordo* (contra quem ſtant Sayr. *de Cenſur. lib.* 4. *cap.* 15. *n.* 23. Sanch. *de Matrim. lib.* 6.

*Diſp.*

*Diſput.* 32. *n.* 8. qui tenent eſſe ſuſpenſum ) nihilominus, quia graviter peccat, & impunitus remanere non debet, ut ibidem Quarant. advertit, jure, tàm hic, quàm qui cum ficto, aut nullo titulo fraudolenter ad Ordines Sacros recipiendos accedit poteſt excommunicatione ligari.

Infertur Quarto; Patrimonium liberè conſtitutum, non poſſe ab Ordinato illud poſtea donari, reſervato ſibi uſufructu ad vitam, abſque expreſſa Ordinarii licentia. *Sac. Congreg. Concil.* 10. *Octobris* 1676. neque in Emphiteuſim concedere, reſervato deſuper annuo canone fructibus correſpondente, abſque dicta facultate. Eadem *Congregatio in Parmen* 20. *Julii* 1641.

Inſuper, qui habet Titulum Patrimonii conſtitutum ſub hac conditione: *Donec, & quouſque proviſus fuerit de Beneficio Eccleſiaſtico, aut aliunde habuerit, unde commodè ſubtentari valeat, quo caſu eveniente, Patrimonium redeat ad conſtituentem, abſque alia declaratione*. Non dicitur ſpoliatus, neque privatus Titulo, quamvis Beneficium, vel bona acquirat, ſed viget Patrimonium, ut prius, non obſtante conditione prædicta, donec ( ut ſupra de Beneficio dictum eſt ) ab Ordinario non fiat ſubrogatio. ſic declaravit *Sac. Congr. Concil.*

*cil.* 12. *Julii* 1687. Et in Senogallien. 20. Junii 1705.

Infertur Quinto; Patrimonium ab Ordinando conſtitui poſſe in annuis perpetuis cenſibus creatis ad formam Bullæ S. Pii V. cum hac lege, quod debitores in caſu redemptionis teneantur pretium deponere, penes ædem Sacram, vel perſonam fide, & facultatibus idoneam, ad effectum reinveſtiendi, cum eiſdem qualitatibus, in aliis cenſibus, vel bonis ſtabilibus, aut locis Montium non vacabilibus; et quod tale inveſtimentum teneatur facere ipſe Ordinatus, ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ. *Sac. Congreg. Concil.* 21. *Julii* 1629. *in nullius lib* 14. *Decret. pag.* 109.

Denique deſervire poteſt pro Titulo, etiam Penſio, quæ pariter eſt Titulus Canonicus, dummodo ſit ſufficiens, & perpetua. Similitudinem cum Penſionibus Eccleſiaſticis habent Præſtimonia, quæ ſunt in uſu apud Hiſpanos; & dicuntur eſſe certi redditus abſtracti ex redditibus Beneficiorum, Juvenibus conceſſi, ut ſtudiis vacare poſſint, ut notant Salmanticenſes *tract.8. cap.6. num.69.* & Gonzalez *ad Reg.* 8. *Cancell. gloſſ.* 5. §. 2. *n.* 15. & deſervire etiam poſſunt pro titulo ad Ordines Sacros, quia conferuntur in perpetuum; nec poſ-

poſſunt reſignari, niſi ordinatus habeat aliunde honeſtam ſuſtentationem, & licentia Epiſcopi interveniat, ut decernit Concil. Trid. Seſſ. 21. cap. 2. de Refor.

Qui verò eſt de Beneficio, ſeu Canonicatu ſufficienti ad congruam ſuſtentationem proviſus, non poteſt ad dictos Sacros Ordines promoveri ad Titulum Patrimonii, ſive conſiſtat in cenſibus perpetuis, ſive in aliis quibuſcumque bonis, ſed debet Ordinari ad Titulum Beneficii. Sic reſpondit *Sac. Congreg. Concil. in Sorana* 26. *Jannarii* 1669. & in alia *Camerinen.* 4. *Auguſti* 1685. *lib.* 32. *dec. for.* 4.

At ſi quis Ordinaretur ſine Titulo Beneficii, Penſionis, vel Patrimonii, ſciente Ordinario, ſeu cum Ordinari culpa, Ordinarius teneretur ad Alimenta Ordinati, & iſte non eſſet ſuſpenſus: ſi verò Ordinatus ſolus eſt in culpa, exponendo Beneficium, ſive Patrimonium falſis probationibus, in totum, vel in parte notabili non verum, ſed fictitium, tunc ipſe ſolus pœnas incurrit, nimirum ſuſpenſionem, per Canone *Nomine, & Sanctorum, diſt.* 70. inflictam, & per Concil. Trident. *ſeſſ.* 21. *cap.* 2. *de Reform.* quo ad hoc innovatam; & hanc Sententiam, inter alios tuetur Pignatell. *Conſult.* 77. *n.* 15. & 16. *tom.* 5. ubi plures

de-

declarationes Sac. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium, ac Concilii refert.

Ratio autem hujus aſſignationis Patrimonii eſt, quia Doctrina Catholica, & mens Eccleſiæ ſemper fuit, ut ejus Miniſtri, præſertim in Sacris, Ordinati, haberent, undè honeſtè vivere poſſent; nec cogerentur mendicare, & hoc ob plures cauſas, ac rationes. Prima eſt, quia mendicitas Clerici cedit in dedecus Ordinis Clericalis. *cap. Diaconi ſunt. diſt. 93. & cap. ad ſupplicationem, de Renunciat.* Secunda, quia cum dicat Gloſſa *in cap. cum ſecundum. Verbo obſequium, de Prebend.* quod *non ſibi, ſed Domino gravis eſt, cui ſervit egeſtas*; ſi Clericus egeat, redundat in opprobrium ejus, in cujus ſortem, ſeu hæreditatem aſſumptus eſt. *cap Cleros* 21. *diſt.* Tertia, quia cum eligatur ad onus, repelli non debet a mercede. *cap. Charitatem. Cum duob. ſeqq.* 12. *q.* 2. Quarta, quia ut ait Apoſtolus 1. *cor.* 9. *Qui Altari ſervit. de Altari vivere debet.* Hinc antiquiſſimum fuiſſe morem in Eccleſia, ut nullus Ordinaretur, abſq. ſufficienti ſuſtentationis titulo, adeo verum eſt, ut multi ex DD. quos citat Gonzalez *in Commentar. ad cap. Epiſcopus* 4. *de Præbend. n.* 9. arbitrentur,

il-

illum viguiſſe etiam tempore S. Hjeronymi, ſcilicet Anno 390.

## *NOTA QVARTO.*

A Suſceptione Acolytatus, uſque ad Subdiaconatum, aſſignat Tridentinum, *ſeſſ. 23. cap. XI. de Reform.* intervallum unius anni: ***Hi verò non niſi poſt annum a ſuſceptione poſtremi gradus Minorum Ordinum, ad Sacros promoveantur.*** Interſtitia igitur Ordinum Minorum, prudentis Epiſcopi arbitrio reliquit, tàm quo ad determinationem intervalli, quàm quo ad diſpenſationem, ſed non ita Interſtitia ab Acolytatu, ad Subdiaconatum; nam et tempus determinavit, & cauſas diſpenſationis limitavit. ***Niſi neceſſitas***, inquit, ***aut Eccleſiæ utilitas, judicio Epiſcopi, aliud expoſcat.*** Quibus verbis clarè inſinuatur, quod hæc Interſtitia ſtrictius obſervari, & cautius diſpenſari debent, ob eas præcipuè cauſas, quas Tridentinum aſſignat. Nempe neceſſitatem, aut utilitatem diſiunctivè.

Ratio hujus diſcrimini tribuitur ab Hallier. *de Sacr. elect. & Ordinat. ſeſſ. 7. Art. 7. n. 26.* Una eſt ex parte Eccleſiæ, ex parte Ordinandi alia; ita ait: ***Nam cum jam Minores Ordinum functiones, aliquæ tantum in uſu ſint, diſciplina circa initiatos iis***

*Ordinibus, aut nulla, aut longè minor vigeat, obligatio eorum ferè nulla ſit &c. At ubi ab his ordinibus, ad Sacros aſcenditur, in quibus cælibatus, & Clericalis vitæ ineundæ profeſſio emittitur, nec licet manum ponentem ad Aratrum retrò aſpicere, ſeriò tunc demum providendum, ne vel inutilibus Eccleſiæ Clericis onerentur, vel ingrato ſe ſtatui, aut conditioni quiſquam adſcriptum doleat, vel ineptus admittatur; probationis itaque tunc tempora neceſſaria ſunt, quia probatio maximè neceſſaria.*

Judicanda eſt autem utilitas Eccleſiæ ſufficiens ad diſpenſandum, quando ſunt pauci Miniſtri idonei: Tunc veró dicitur neceſſitas, quando non ſolùm deſunt idonei, ſed etiam deſunt Miniſtri idonei, & non idonei, ita Sanchez, & Barboſa, ex mente S. Antonini.

Porrò hæc neceſſitas, aut utilitas Eccleſiæ, non conſiſtit in indiviſibili, ſed debet Epiſcopus advertere, multoties idoneos, & non idoneos Miniſtros legitimis occupationibus, & negociis eſſe detentos; quandoque etiam ob infirmitates non reſidere in Eccleſiis, quo caſu neceſſitas ſimul, & utilitas ad minus, moraliter cóncurrunt, & juſtam præbent cauſam diſpenſationis.

Adeſt etiam neceſſitas, vel utilitas Eccle-

cleſiæ, quando quis habet Beneficium, aut Cappellaniam, cum obligatione celebrandi.

Præterea diſpenſandi cauſa eſt arctatio recipiendi Sacrum Ordinem, ratione Beneficii recepti, vel recipiendi.

Cenſetur quoque communiter cauſa ſufficiens ad diſpenſandum, ſi in ordinando magnæ literæ adſint, vel virtus inſignis, & ratio hujus eſt, quia is Ordinatus, erit utilis Eccleſiæ; Magna autem utilitas æquiparatur neceſſitati.

Videtur etiam utilitas ſufficiens, ſi Religio indigeat aliquo ad prædicandum.

Denique cauſa diſpenſandi, eſt ætas provecta Ordinandi, cum gravitate, & integritate conjuncta.

E contrario, poteſt Ordinarius Clericis ſibi ſubditis interdicere aſcenſum ad Sacros Ordines, ex quacunque cauſa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet ſibi nota. Prædictam autem cauſam, requiſitus a Sancta Sede Apoſtolica, ipſe Ordinarius tenetur manifeſtare, ſed non probare.

Quod cauſæ ſint exprimendæ, deducitur ex ſtylo Romanæ Curiæ, quæ in ſimilibus caſibus, requirere ſolet Ordinarium, ut informet, & dicat cauſas, propter quas, non vult aliquẽ Clericũ ad Ordines promovere,

ut teſtatur Pyrr. Corrad. *in Praxi Diſpenſat. Apoſtolicar. lib. 4. cap. 5. n. 53.* Nicolius.*in Floſcul.verb. Ordo num.23.* & in *Lucubrat. Canon. lib.1. tit. 11. n.12.* Ut ſi fortè cauſæ non ſint legitimæ, ſed frivolæ, & ex ſui natura minus juſtæ, conſulatur indemnitati ipſius Clerici; ideoque videtur neceſſaria expreſſio cauſarum, quæ ſint rationabiles: prout obſervari ſolet in appellatione, quæ interponitur a decreto interlocutorio, quo caſu appellans tenetur exprimere cauſam rationabilem gravaminis, quamvis ad eam probandam minimè aſtringatur; ne forte ex cauſa de ſui natura frivola, aut impertinenti, Judex cogatur deferre appellationi. Gloſſa *in Clem. appellanti in verb. Alias cauſas de Appellat.*

Quod verò cauſæ, quæ fuerint expreſſæ, non ſint probandæ, faciunt infraſcripta.

Primo, quia Concilium Trid. *Seſſ. 14. de Reform. cap. 1.* corrigendo Capitulum *Ex tenore, de temp. Ord.* & ampliando *cap. ad aures, eodem tit.* conceſſit Epiſcopo, ut prohibere poſſit aſcenſum ad Ordines, Clericis Sæcularibus, etiam dignitates, vel Beneficia, quibus annexus ſit ordo, obtinentibus, ob occultum crimen; Ergo adſtringi non poteſt ad illud probandum,

quan-

quandoquidem occultum eſt illud, quod probari non poteſt. Abb. *in cap. Veſtra de cohabit. Clerici, & Mulier.* Fagnan. *in cap. dilectus n. 38. de temp. Ordin.* Et ubi darentur probationes, inane redderetur Decretum Concilii, quod non haberet locum, niſi in delictis publicis, & manifeſtis; illud enim, quod probatur, non eſt amplius occultum, ſed publicum, & manifeſtum Gloſſ. *in d. cap. Veſtra, in verbo notorium*.

Secondo, quia Concilium Tridentinum concedit Epiſcopo facultatem prohibendi aſcenſum ad Ordines ex delicto, etiam extrajudicialiter; quod verbum indicat, Prælatum, non teneri teſtes examinare, neque Proceſſum conficere, ſed tantummodo animum ſuum informare; ideoque cogi non poteſt ad judiciales probationes, ſed ſtandum eſt ejus menti, & animo, quia veritatem ſatis compertam habere præſumitur, ex informationibus extrajudicialibus, & Secretis, per eum habitis. Maſcard. *de Probat. Concluſ. 950. n. 12.*

Tertio, quia admittere Clericos, vel eos repellere a Sacris Ordinibus, pendet a libera, & abſoluta voluntate Epiſcopi, tùm ex dicto Decreto Concilii Trid. *Seſſ. 14. cap. 1.* tùm *ex cap. 16. ſeſſ. 23. de Reform.* At liberum, & abſolutum arbitrium, nullis

ſubiacet legibus, aut regulis Juris. Fagnan. *in cap. Ne innitaris. n.238. de Conſtitutionib.*

Quarto, quia dum Concilium Tridentinum, *Seſſ.* 14. *cap.* 1. concedit Epiſcopo liberam facultatem denegandi Ordines, etiam ob delictum occultum, & extrajudicialiter, utitur verbo *Quomodolibet*, quod quidem verbum, comprehendit quemcumque modum, qui comprehendi poteſt. Unde cum potuerit Ordinarius certificari de delictis N. Clerici, a perſonis fide dignis, & timoratis, quæ tamen, ob urgentes reſpectus obligaverint ipſum Ordinarium ad eas non manifeſtandas, vel propalandas; manifeſta ſit mens Concilii, ut Ordinarius non oblicetur ad probationes, ſed ſtandum ſit ejus informationi, quomodolibet receptæ; ideſt quocumque modo, aut directè, aut indirectè habitæ, prout innuit hoc verbum *Quomodolibet.* Gloſſ. *in Clem.* 2. *Verb. Quomodolibet, de Sent. excom.* Fagnan. *in cap. Verum, num.*30. *&* 32. *de foro compet.*

## NOTA QVINTO.

Examinandis in Urbe, pro quolibet Sacro Ordine, traduntur reſpectivè explican. infraſcripti libri, nempe Concil. Trid.

Trid. Epiſtolæ S. Hieronymi, Catechiſ. Rom. & Concil. Rom. celebrat. a S. M. Benedicto XIII. & quatenus in explicatione, habiles, & idonei reperti fuerint, proceditur ad interrogationes ſuper iis, quæ ad Ordinem ſuſcipiendum attinent, ſcilicet materia, forma, intentione, diſpoſitione, officio, obligationibus, ſuper fidei Catholicæ rudimentis, continentiæ Voto, modo recitandi Divinum Officium, ſuper Sacramentorum Doctrina, ſaltem generatim, ut fuſius ſuo loco agemus; ac denique ſuper Tractatibus Theologiæ Scholaſticæ, Moralis, ſeu Juris Canonici, quibus reſpectivè ſtuduerint; & quamvis etiam in hoc examine approbati ſint, adhuc documentum, quod dictis facultatibus, ſaltem per annum, operam dederint exhibere tenentur.

Quod ſi quis ſemel, & iterum fuerit reprobatus, ad tertium examen, de ſtylo non admittitur, niſi poſt tres menſes, ad hoc ut dicto temporis intervallo, doctior factus, approbationem in tertio examine reportare mereatur. Nemo inſuper ad examen, multoque minus ad Ordines ſuſcipiendos, tàm Sacros, quàm minores, admittitur, niſi habitum Talarem, & Clericalem Tonſuram deferat, ad formam Edicti S. M.

Clementis XI. *ſub die 7. Decembris* 1706.

Nec examen prædictum, incipiendo a minoribus incluſivè, committi poteſt a Vicario Urbis, uni, vel alteri, ex Examinatoribus, multoque minus ſuper eodem diſpenſari, etiam ſi examinandi, ſint Canonici Baſilicarum Patriarchalium Urbis, vel Romanæ Curiæ Prælati, ac in quacumque Eccleſiaſtica dignitate conſtituti, ſed fieri debet in loco ſolito Examinis, hoc eſt in ædibus dicti Vicarii, & coram præfatis Examinatoribus, non paucioribus, quam tribus, ſimul congregatis, ex diſpoſitione præmemoratæ conſtitutionis Alexandrinæ. Ab hac tamen generali Regula, excipiuntur dumtaxat prima Tonſura initiandi, eo quia de Tonſura, nulla fit mentio in dicta Conſtitutione, ac proinde ſequitur poſſe dictum Vicarium illos, pro ſuo arbitrio ad quecumque Examinatorem privatim, & extra ſolitum locum, ad examinandum dirigere.

Romanæ Curiæ Prælati, licet ad examen, tàm pro Minoribus, quàm pro Sacris Ordinibus, ut ſupra, accedere teneantur, de ſtylo tamen non examinantur, ſed ipſimet Prælati, in primo loco examinis accubendo, ad inſtar Examinatorum, unum ex Ordinandis examinant, qui eumdem Ordinem eſt ſuſcepturus. Ca-

Canonici Lateranenſis Baſilicæ, ſi in prælatitia dignitate conſtituti non ſint, illud idem examen, quod quilibet alius Ordinandus, ſubire tenentur, gaudent tamen privilegio ſedendi in Scamno, abſque poſtergali, & in ultimo loco Examinis, vigore reſcripti S. M. Clementis XII. infraſcripti tenoris.

„ Beatiſſimo Padre: Li Canonici della Sa-
„ groſanta Baſilica di S. Gio: Laterano,
„ Oratori umiliſſimi della Santità Voſtra,
„ genufleſſi a ſuoi Santiſſimi Piedi, rive-
„ rentemente rappreſentano, che in occa-
„ ſione di eſporſi nel Tribunale dell' Emo
„ Signor Cardinal Vicario di Voſtra
„ Beatitudine al publico Eſame, per eſſe-
„ re promoſſi alli Ordini, tanto Minori,
„ che Sagri, ogni qualvolta ſiano dalli
„ Eſaminatori approvati; vengono in
„ queſt'atto publico, e ſolenne, in faccia
„ a tutti li concorrenti, egualmente tratta-
„ ti, e conſiderati, come qualunque altro
„ Chierico, che al detto Eſame ſi eſponga,
„ mentre alli Oratori non conviene ſtare
„ in piedi in faccia delli Eſaminatori, quali
„ ſiedono unitamente, ſecondo il diloro
„ Ordine, e Graduazione. Simil norma,
„ ſiccome non ſi oſſerva fuori di Roma,
„ quando ſi ſottopongono all' Eſame i Ca-

„ no-

„ nonici di qualunque Catedrale, così
„ ſembra eſſere pregiudiziale al decoro,
„ ed eſtimazione di un Capitolo, quale, ol-
„ tre l'eſſere inſignito da Sommi Pontefici
„ di tante Specioſe Graduazioni, e Privi-
„ legi, è ſpoſa della Santità Voſtra. Per-
„ tanto ſupplicano la Somma Clemenza
„ di Voſtra Beatitudine, volerſi degnare
„ dare Ordine a Superiori di detto Tribu-
„ nale, che conſiderata la dignità de Ca-
„ nonici, non graduati alla Prelatura, ven-
„ ga loro deſtinato quel trattamento, che
„ ſarà creduto più convenevole al carat-
„ tere, che con tanto decoro ſoſtengono,
„ che della grazia &c.: a tergo: *Ex audien-*
„ *tia Sanctiſſimi die* 12. *Septembris* 1733.
„ *Sanctiſſimus annuit, cum declaratione,*
„ *concedendum eſſe in poſterum Oratoribus,*
„ *occaſione examini ad Ordines, Scamnum,*
„ *abſque Poſtergali, & in ultimo loco exa-*
„ *minis.*
„ *F. J. Antonius Cardinalis Vicarius.*

Cujus reſcripti vigore, etiam Canonici Sacroſanctæ Baſilicæ S. Mariæ Majoris, ſimili modo in dicto Examine tractantur.

Canonici verò Sacroſanctæ Vaticanæ Baſilicæ, ſicut etiam Beneficiati, & Clerici, ceterique ejuſdem Baſilicæ ſervitio addicti, etiam ſæculares, præfato Exami-

ni coram Examinatoribus Urbis, non ſubiiciuntur: nam ipſorum Ordinatio ſpectat ad Eminentiſſimum D. Cardinalem Archipresbyterum, ſi ſit Ordinis Epiſcopalis; ſin minus, promoveri poſſunt a quocumque alio Catholico Antiſtite, de ejus licentia, quod approbatum fuiſſe per Sacram Congregationem Concilii, refert Emus Petra *in comment. ad Conſtitutionem primam Pii Secundi, pag. 199. num.* 70. Non quidem virtute aſſertorum Privilegiorum, dictæ Baſilicæ, & Archipresbytero conceſſorum, cum hæc omnia revocate fuerint a Concilio Trid. *ſeſſ.* 23. *cap.* 8. *de Reform.* quo cavetur, ut: *unuſquiſque a proprio Epiſcopo Ordinetur*: *& cap.* 10. *ejuſdem Seſſionis*, quo item cavetur, ut omnes exempti, quo ad Ordinum receptionem, recognoſcere debeant Epiſcopos: *intra quorum Diæceſis fines exiſtunt, quibuſcumque Conſtitutionibus, & Privilegiis in contrarium non obſtantibus*. Multoque magis revocata fuerunt a Conſtitutione Alexandrina. De promovendis in Urbe, & ſex vicinis Epiſcopatibus; ſed dictæ Ordinationes, ut ſupra, fiunt in vim ſpecialis Brevis Apoſtolici, quod a Summo Pontifice conceditur cuicumque Archipresbytero, dum huic muneri præficitur, nec extenditur ad Succeſſores Archi-

Digitized by Google

chipræsbyteros, ut in Brevibus expeditis favore Archipresbyterorum, Caroli Barbarini, & Nerli, fatetur obſervaſſe B. M. Canonicus Cuggiò olim Tribunalis Vicariatus Secretarius. *Tom.* 1. *Jura Vicariatus fol.*297.

Sed non obſtante hac parſonali Eminentiſſimi Archipresbyteri facultate, ab eodem promoveri non poſſunt, niſi cum Teſtimonialibus Vicarii Urbis; ſi ſint Romani, ſuper legitimitate nimirūnataliū, ac bonis vita, & moribus, & quod nullū contraxerint impedimentum canonicum, ad tenorem Bullæ Innocentianæ; ſi verò ſint alienæ Diæceſeos, cum Teſtimonialibus ejuſdem Vicarii, ſuper vita, & moribus, pro eo tempore, quo Romæ moram fecerint. Quæ quidem conditio, ita eos arctat, ut aliter promoti, declarari poſint ſuſpenſi ab Exercitio Ordinum Suſceptorum, quemadmodum accidit tempore fel. rec. Clementis XI. a quo abſoluti, & rehabilitati fuerunt quatraginta, quos R. P. D. Nicolai, dictæ Baſilicæ tunc temporis Vicarius, in Suſpenſionem incidiſſe declaraverat, ex eo quia abſque hujuſmodi Teſtimonialibus promoti fuerant, prout pariter notatum legitur in d. Tom. 1. *Jura Vicariatus.* eodem fol. 297.

In-

Inſuper ſupradicti omnes, tenentur peragere Exercitia Spiritualia, per decem dies continuos, in Domo Miſſionis, ex vi Ballæ Alexandrinæ.

## *NOTA SEXTO.*

Conſtitutio Alexandri VII. de Promovendis ad Ordines in Urbe, & ſex vicinis Epiſcopatibus, inter alia diſponit, quod pro quolibet, ad Sacros Ordines promovendo, fieri debeant Publicationes, in propria Parochiali Eccleſia, ac in Baſilica Lateranen. quia verò nec dicta conſtitutio, neque Concilium Tridentinum determinant numerum dictarum publicationum, quamvis de Stylo tres fiant, ac tribus diebus feſtivis de præcepto; poteſt Vicarius Urbis, vel ejus Vicesgerens ſuper una, ac etiam duabus diſpenſare. Advertendum tamen eſt, quod ſi promovendus in duplici Parecia notabiliter commoratus fuerit, in utraque Publicationes fieri debent.

## *NOTA SEPTIMO.*

Exercitia Spiritualia, Sacris Ordinibus præmittenda, neceſſariò fieri debent in Domo Miſſionis, & non alibi, ac per decem ſaltem dies continuos, ex citata Conſtitutione Alexandrina, in qua ſic: *Quoties*

*ties aliquem, ex Sacris Ordinibus ſuſcipere voluuerint, ad Sacerdotes in id deputatos perſonaliter ſe conferant, a quibus decem ſaltem dierum ſpatio ante Ordinationem, in eorum Domo incluſi, de omnibus ad dignè ſuſcipiendos, & ritè exercendos Ordines requiſitis erudiantur, & de hoc Teſtimoniales eorumdem Sacerdotum ad ipſum Vicarium deferant, nec ſine hujuſmodi litteris quiſquam ad ullum Sacrum Ordinem promoveatur, nec cum aliquo ſuper .... incluſione hujuſmodi diſpenſari poſſit, niſi conſultis nobis, ſeu Romano Pontifice pro tempore exiſtente.*

Ex quibus verbis, clarè deducitur; primo, Eminentiſſimum Vicarium non poſſe ſuper dictis exercitiis diſpenſare, nec ordinandos ad alios, quàm ad Patres Miſſionis, qui ſunt deputati ad hunc effectum, dirigere. Secundo, eoſdem promovendos diùque, noctúque incluſos in Domo dictorum Patrum commorari, & pernoctare debere, nec egredi poſſe, niſi exercitiis abſolutis. Tertio, ad ſupradicta exercitia in præfata Domo peragenda, teneri etiam Alumnos, & Convictores Collegiorum Urbis, iis dumtaxat exceptis, qui ſunt ſub ſtricta, & formali cura Regularium, ac exceptis Alumnis Collegiorum Apo-

Apoſtolicorum, qui vigore Privilegiorum Apoſtolicorum, ad Titulum Miſſionis, & extra tempora ordinantur, uti ſunt Alumni Collegii de Propaganda Fide, Germanici, & Ungarici, Anglorum, Hibernorum, Scotornm, Græcorum, & Maronitarum, qui omnes in dicta Conſtitutione Alexandrina non cenſentur comprehenſi, eo quia in ſuis reſpectivè Collegiis dictis exercitiis commodè vacare poſſunt, prout de facto laudabiliter vacant; multoque minus cenſentur comprehenſi Regulares cujuſcumque Ordinis, Congregationis, ſeu Inſtituti, a Sancta Sede Apoſtolica approbatorum; cū nulla de iſtis mentio fiat in prælaudata Conſtitutione; ex antiquiſſimo, & invariabili tamen ſtylo, ac etiam ex litteris Enciclicis S. M. Innocentii XI. & Clementis XI. dicta exercitia præmittere tenentur in propriis Domibus, ſeu Monaſteriis, ante ſuſceptionem cujuslibet Sacri Ordinis.

## *NOTA OCTAVO.*

ROmani Concilii Decretum, quo omnes Clerici Sæculares, ad Sacros Ordines aſſumendi, ad permanentiam ſex ſaltem Menſium in Seminario, ſeu Epiſcopio aſtringuntur, ab eodem Benedicto XIII.

ſub quo dictum Concilium celebratum fuit, pro Romanis moderatum fuit hoc modo, nempe quod Beneficiati, ad reſidentiam obligati, ac etiam arctati, permanere debeant in Seminario per Menſem (nomine autem Seminarii, ſeu Epiſcopii in Urbe, quo ad hoc, venit Domus Miſſionis) & per alios quinque Menſes intereſſe teneantur ante ordinationem Collationibus, quæ Feria tertia fiunt in dicta Domo Miſſionis, & Feria quarta in Domo profeſſa ſocietatis Jeſu, ac inſuper intereſſe Lectionibus Theologię Moralis, Sacrorumque Rituum, in Conventu, ſeu Religioſorum Domo, in qua ſtatis diebus proprius cujuſque Parochus intervenit. Ceteri verò, qui Beneficium reſidentiale non habent, nec ad Sacros Ordines recipiendos arctantur, permanere debeant in Seminario, ut ſupra, per tres ſaltem Menſes, dummodo adſit cauſa diſpenſandi ab aliis tribus Menſibus, a præmemorato Concilio præſcriptis, ut fuſius in Decreto Congregationis Præfectorum ſub die 29. Novembris 1725.

His non obſtantibus, indubitatum eſt, Urbis Vicarium, ſuper dicta permanentia in Domo Miſſionis, Collationumque frequentia, etiam totaliter diſpenſare poſſe, ſicut quilibet Ordinarius, juſtis tamen, & ra-

& rationabilibus de cauſis, quod ex ſequentibus præcitati Decreti verbis manifeſtè colligitur: *Nec cum eis, niſi prudenti Epiſcoporum arbitrio diſpenſandum*. At hujuſmodi facultate, etiam in concurſu legitimæ cauſæ, ferè nunquam Vicarii pro tempore uſi ſunt, ſed dumtaxat in caſibus, in quibus ſupplicantium preces, eorumdem Vicariorum arbitrio a Sanctiſſimo remiſſæ ſunt.

Exteri cujuſcumque Diæceſis, qui in Urbe ad Sacros Ordines, vigore dimiſſorialium ſuorum Ordinariorum promoveri petunt, ad Seminarium, ſeu Convictum, ut ſupra, non obligantur, niſi fortè in dictis Dimiſſorialibus aliàs cautum ſit; ſupponitur enim, vel quod hanc obligationem, jam adimpleverint, vel ab ea legitimè diſpenſati ſint, nec ad Eñum Vicarium ſpectat, ullam ſuper hoc inquiſitionem facere, cum ſit merus Dimiſſorialium executor, aliàs facultates excederet, ac injuriam quodammodo faceret Epiſcopis Dimiſſoriales concedentibus; credendum etenim eſt, unumquemque ſuis reſpectivè obligationibus ſatisfeciſſe.

Quod ſi quis abſque litteris dimiſſorialibus ſui Ordinarii, in Urbe promovendus ſit vigore reſcripti Sanctiſſimi, vel Sacra-

rum Congregationum, a quibus non rarò omnimoda facultas Vicario Urbis tribuitur, aliquem promovendi independenter a proprio Ordinario, immò ipſo, licet indebitè, repugnante, & contradicente, tunc, præter alia documenta communia, etiam Teſtimoniales, quod in Domo Miſſionis, vel ſaltem in alio Seminario, etiam extra Urbem, ad minus per tres Menſes convixerit, ab Ordinando exhibendæ ſunt; Nam credendum non eſt, quod Summus Pontifex, ſeu Sacra Congregatio, per talem facultatem voluuerint etiam promovendum a Seminario omnino deobligare, niſi fortè in dictis reſcriptis, ſuper hoc quove expreſsè derogatum fuerit, vel niſi aliàs eidem Vicario videbitur, qui cum quoad hanc Ordinationem, per præmemorata reſcripta, loco ordinarii ſubſtituatur, cum facultatibus neceſſariis, & opportunis, poteſt, ſicut proprius Ordinarius, legitimis tamen concurrentibus motivis, ſuper dicto Seminario diſpenſare.

Canonici Baſilicarum Patriarchalium Urbis, utpote in Eccleſiaſtica dignitate conſtituti, ac quamplurimis privilegiis, & prærogativis decorati, ad inſtar Prælatorum, ad ſupradictum Convictum minimè obligantur; non enim cenſentur compre-

prehenſi in Decreto Concilii Romani, quod ex antiqua, & nunquam interrupta obſervantia comprobatur. Tenentur tamen vacare exercitiis Spiritualibus in eadem Domo Miſſionis, per decem dies continuos, ante ſuſceptionem cujuslibet Sacri Ordinis, ſicut ceteri promovendi, ſub qua obligatione, etiam omnes Romanæ Curiæ Prælati comprehenduntur, nec ab ea, niſi a Summo Pontifice diſpenſari poſſunt. ex memorata Bulla Alexandri Septimi.

# CAPUT QUARTUM.

## Romani, qui ad Sacrum Diaconatùs Ordinem promovendi ſunt, debent habere.

I. DE *VITA, ET MORIBUS* bonum teſtimonium. Conc. Trid. *Seſſ. 23. cap. 13. de Reform.*

II. *ORDINUM SUSCEPTORUM*, præcipuè Subdiaconatùs, fidem, ut unius anni tempus, a ſuſceptione ultimi Ordinis elapſum conſtet Trid. *dd. ſeſſ. & cap.*

III. *DE MINISTERIO* in Subdiaconatùs Ordine peracto. Trid. ubi ſupra.

IV. *BAPTISMI* Fidem, ex qua viginti trium annorum ætas appareat. Trid. *d. Seſſ. cap. 12. de Reform.*

V. DE

Digitized by Google

V. *DE FREQUENTI* Sanctiſſimi Corporis Chriſti communione, ut in præcedenti *cap. n.* 6.

VI. *SUPERIORIS MISSIONIS*, de frequentia per alium annum Congregationi, ut ſupra *cap.* 3. *n.* 7.

VII. *STUDII* duorum annorum Theologiæ Moralis, aut Scholaſticæ, vel ſaltem Juris Canonici. *ut cap.* 3. *num.* 8.

VIII. *PUBLICATIONUM*, & earumdem Teſtimonial. ut in præcedenti *cap.* 3. *n.* 9.

IX. *EXAMINIS*, & approbationis, ut dicto *cap. n.* 11.

X. *EXERCITIORUM SPIRILIUM* in Domo Miſſionis peractorum, ut dicto *capite n.* 11.

XI. Denique habere debent Teſtimonium ſuper frequentia præſtita Congregationi Catechiſmi, ut in præcedenti *cap.* 1. *n.* 10.

# ADNOTATIONES.

## NOTA PRIMO.

A Subdiaconatu, ad Diaconatum, unius ſaltem anni intervallum Trid. decernit. *Seſſ.23. cap. 13. de Refor. niſi aliud Epiſcopo videatur*: quod debet intelligi de viſu, & judicio ratione regulato. Navarr. *Conſil. 11.lib.1.de temp.Ordin.*ex *Bartol.* Cauſa ad diſpenſandum ab his Interſtitiis, non requiritur adeo rigoroſa, ac ad diſpenſandum in antecedentibus; cæterum debet eſſe gravior, quàm ad diſpenſandum in Interſtitiis inter Ordines Minores. Quod ſuadetur. Primo, quia Tridentinum deſignavit tempus unius ſaltem anni, quod non fecit in Ordinibus Minoribus. Secundo; quia Diaconatus eſt Ordo Sacer. Tertio; quia Ordinatus accedit propiùs ad Sacerdotium &c. Motivum autem, quod habuit Tridentinum, ut hanc diſpenſationem arbitrio Prælati relinqueret, fortaſſe fuit, quia Miniſterium Diaconatùs, his temporibus, minori indiget probatione, cum jam in deſuetudinem abierint Canonicæ leges, in quibus multa Diaconis committebantur, quæ valde exactam perſonæ, cujus

fidei

fidei tradenda erant, cognitionem, & experientiam requirebant; & aliàs Diaconatus nullam addit de novo obligationem, aut vinculum, ſive caſtitatis ſervandæ, ſive officii Divini recitandi, quod non trahat ſecum Subdiaconatus.

## *NOTA SECUNDO.*

ET ſi Clerici in Minoribus conſtituti, ut ſupra innuimus, in dictis Ordinibus exerceri debeant, ante quam ad Subdiaconatum aſcendant, multo magis Subdiaconi in Ordine Subdiaconatûs, antequam ad Diaconatum promoveantur, debent eſſe verſati, quemadmodum *a Sac. Conc. Trid. d. ſeſſ. 23. cap.* XIII. *de Reform.* rigoroſius aſtringuntur. Officium autem Subdiaconi eſt, ut habetur in Pontificali Romano; ſub Rubrica *de Subdiaconi Ordinatione*. Aquam ad Miniſterium Altaris præparare, Diacono Miniſtrare, Pallas, & Corporalia abluere, Calicem, & Patenam ad Aram portare, Panem conſecrandum, quantum ſufficiat pro Communione populi deferre. His autem Officiis de jure adSubdiaconos ſpectantibus, tria alia addiderunt Rubricæ Miſſalis, hic pariter referenda. Unum eſt, ut induti Alba, Tunicella, ac Manipulo, cantent Epiſtolam in

Miſſa Solemni. Alterum tenere Patenam velo involutam in Miſſa Solemni. Tertium tandem officium eſt deferre crucem in Proceſſionibus.

Officia verò Diaconi ſunt. Primo. Promulgare populo Evangelium; tum illud cantando in Miſſa Solemni, tum illud prædicando; ut conſtat exemplo S. Stephani primi Diaconi *Act.6.* & ex Pontificali Romano, quod in ordinatione Diaconorum hæc habet ad illos: *curate, ut quibus Evangelium ore annunciatis, vivis operibus exponatis*. Et in actu Ordinationis: *accipite poteſtatem legendi Evangelium in Eccleſia Dei &c.* Secundo diſpenſare Sacram Euchariſtiam Populo. Tertio Miniſtrare, ac inſervire Sacerdoti Celebranti. *Cap. Cleros. Diſt.* 21. ubi dicitur: *Diaconi ſuccedunt Levitis, qui in myſticis illis Sacramentis veteribus, Sacerdoti miniſtrabant. Diaconus græcè idem ſonat, ac latinè Miniſter, quia ſicut in Sacerdote conſecratio, ita in Diacono* Miniſterii *deputatio habetur*. Prout etiam *in cap. Perlectis, diſtin.* 25. *Ad Diaconum pertinet Sacerdotibus Miniſtrare in omnibus, quæ aguntur in Sacramentis Chriſti*. Quarto Diaconorum officium eſt ſolemniter baptizare: de commiſſione tamen Epiſcopi, vel Parochi: & hæc quatuor

tuor Miniſteria de jure divino competunt Diaconis ex vi ſui characteris, & Sacræ Ordinationis. Ex commiſſione autem Eccleſiæ, multa alia officia ſpectare poſſunt ad Diaconos; uti gerere curam pauperum, eis eleemoſinas elargiendo, ut legitur de Sancto Laurentio. Colligere & cuſtodire redditus Eccleſiæ. *Cap. Volumus. Cap. Diaconum* 89. *diſt.* 3. Inſtruere Catechumenos, & eos ad Baptiſmum diſponere. S. Dionyſ. *de Eccleſ. Hjerar. cap.* 2. nec non Miſſam Catechumenorum celebrare. *Morinus de Sacramento Pænitentiæ, lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 3. erat autem Miſſa Catechumenorum, ab Introitu uſque ad offertorium, ut ibi Morinus probat, ſubdens *lib.* 8. *cap.* 24. quod aliquando totã Miſſam dicere prçſumpſerunt, ſed fuerunt repreſſi. Quarto curare, ut in Eccleſia omnia fiant cum modeſtia, & ſine ſtrepitu. S. Clemens Papa *Apoſt. Conſtit. lib.* 2. *cap.* 44. ubi præcipitur, quod Diaconus ſit Epiſcopi auris, oculus, os, cor, & Anima. Quinto cuſtodire Epiſcopum prçdicantem. *cap. Diaconi* 93. *diſt.* 6. Cantare Pſalmos in Choro, ex S. Fabiani *Epiſt.* 1. *in princ.* Et Septimo, cantare Præconium *Exultet*, ac benedicere Cereum Paſchalem in die Sabbati Sancti.

NO-

## NOTA TERTIO.

COmmunis eſt Theologorum, & Canoniſtarum Sententia, nullam eſſe neceſſariam certam ætatem, pro recipiendis validè quibuſcunque Ordinibus, ita ut etiam Infans, & ante uſum rationis, validè Ordinetur, & eſt capax Ordinum, cum non ſit neceſſarius conſenſus Ordinati, qui ſatis eſt, ſi non diſſentiat, ut tenet Paſſer. *Queſt. unic. num.* 13. Poteſtas enim confertur non contradicenti, licet non petenti, & communem eſſe opinionem iſtam pro validitate, tradit Sanchez *opuſc. lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 32. *n.* 1. *& de Matrim. lib.* 7. *diſp.* 30. *num.* 4. *& ſeqq.* Tolet. *lib.* 1. *cap.* 61. *Verſ. eſt autem*. Quamvis iſta Ordinatio Infantium ante uſum rationis, ſemper fuerit reprobata, *& in cap. Nullus de temp. Ordin. in 6.* expreſsè prohibita in quocunque Ordine, etiam Tonſura, ex neceſſitate præcepti: & ex eadem propterea neceſſitate non eſt permittenda.

Sed ut Ordinatio, non ſolùm ſit valida, ſed etiam licita quo ad Diaconatum, alioſque Sacros Ordines (quid quid ante Tridentinum pro varia temporum Diſciplina, per Concilia generalia ſtatutum fuerit) Tridentini Patres. Prudentia, & moderatione utentes, ita ſtatuerunt: *Ut nullus im-*

*impoſterum ad Subdiaconatus Ordinem, ante vigeſimum ſecundum, ad Diaconatum ante vigeſimum tertium, ad Presbyteratum ante vigeſimum quintum ætatis annum promovetur. d. ſeſſ.* 23. *cap.* 12. Sufficit autem ætas prædicta incepta. Cit. Paſſerin. *Queſt. unic. num.* 20. nec ſuper defectu ætatis, ut ſupra præſcriptæ in Ordinandis in Sacris, poteſt ullam diſpenſationem concedere Epiſcopus; *cap. dilectus de temp. ordinat.* ſed ſpectat ad ſolum ſummum Pontificem, qui per litteras Apoſtolicas concedere ſolet, & ordinariè non ultra treſdecim Menſes.

## NOTA QUARTO.

EXercitia Spiritualia ante Diaconatum ad præſcriptum Conſtitutionis Alexandrinæ, ut præmiſimus facienda, aliquando a Vicario Urbis, vigore reſcripti Sanctiſſimi diſpenſantur, ſed in iis dumtaxat, qui Apoſtolicam diſpenſationem ſuper extra tempora obtinuerunt, ac inſuper ratione Canonicatùs, Beneficii, ſeu Cappellaniæ ad Sacros Ordines arctantur, tempuſque habent valdè limitatum. Non ſic Exercitia Subdiaconatùs, ac etiam Presbyteratùs, quæ nunquam omninò diſpenſata, aut diminuta fuerunt, etiam ſi ſupradictæ, aliæque cauſæ intervenerint.

CA-

# CAPUT QUINTUM.

## Romani, ad Sacrum Presbyteratùs Ordinem aſſumendi, exhibere tenentur.

I. **B***APTISMI* fidem, ut de viginti quinque annorum ætate conſtare poſſit. Trid. *ſeſſ. 23. cap. 12. de Reform.*

II. *BONUM TESTIMONIUM*, nempe, quod ita caſtis moribus ſint conſpicui, ut præclarum bonorum operum exemplum, & vitæ monita ab eis poſſint expectari. Trid. *ſeſſ. dicta cap. 14. de Reform.*

III. *ORDINUM SUSCEPTORUM*, fidem, prçcipuè Diaconatùs, ut conſtet, quod ab hoc Ordine, ad minus, annus integer ſit lapſus. Trid. *dictis ſeſſ. & cap.*

IV. *MI-*

IV. *MINISTERII* peracti in Diaconatùs Ordine. Trid. *loc. cit.* necnon Sacramentorum frequentiæ.

V. *FREQUENTIÆ* tertii anni præſtitæ Congregationi in Domo Miſſionis. *ex edict. ſeu Notif. cit. in præcedentibus capitibus.*

VI. *STUDII* trium annorum Theologiæ Moralis, aut Scholaſticæ, vel ſaltem Juris Canonici. *ex Eodem Edicto.*

VII. *CATECHISMI*, ut ſupra *cap.* 1. *num.* 10.

VIII. *EXAMINIS*, ut ſupra *cap.* 3. *num.* 9. quo comprobentur idonei ad Populum docendum ea, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, ac miniſtran. Sacramenta. Trid. *Seſſ. d. cap. d. de Reform.* & Conc. Rom. *Tit.6.cap.3.*

IX. *PUBLICATIONVM*, &



Digitized by Google

earumdem Teſtimonial. ,*ut cap*.3. *num*.9.

X. Exercitiorum Spiritualium, ut ſupra. *cap*. 3. *num*.12.

## ADNOTATIONES.

### *NOTA PRIMO.*

SUpradicta documenta, ſicut etiam alia omnia in præcedentibus capitibus recenſita, & ſi ſtando rigori Conſtitutionis Alexandrinæ, exhiberi deberent ab ordinandis per menſem ante Ordinationem, ut colligitur ex ſequentibus verbis dictæ Conſtitutionis; *Quicumque .... ad Minores, vel Sacros Ordines promoveri volunt, per menſem ante Generales Ordinationes, dilectum filium noſtrum, & pro tempore exiſtentis Romani Pontificis in dicta Urbe Vicarium in Spiritualibus adeant*: Nihilominus de ſtylo, non ita rigorosè exiguntur, tùm quia, ut experientia comprobatum eſt, non omnia poſſunt facilè haberi, tùm quia dicto temporis intervallo, nempe a die præſentationis, uſque ad Ordinationem poſſent ordinandi alicui impedimento fieri obnoxii, ratione cujus, ab Ordinibus arceri deberent. Hoc tamen incon-

cuſ-

cuſsè ſervatur, quemadmodum pluries ſervari mandavit Hodiernus Eminentiſs., & Rm̃us D. meus Cardinalis Guadagni Vicarius, ut nemo admittatur ad examen, multoque minus ad exercitia Spiritualia, niſi prius ſupradicta requiſita fuerint exhibita, recognita, & approbata in Secretaria Tribunalis, ut fuſiùs in præcedenti Cap.3. innuimus, Excepta Teſtimoniali exercitiorum Spiritualium, quæ cum decem diebus immediatè præcedentibus Ordinationem peragantur, ipſorum teſtimonium tranſmittitur a Superiore Domùs Miſſionis ad dictam Secretariam die immediata ante Ordinationem.

## NOTA SECONDO.

A Diaconatu ad Præsbyteratum, deſignat Tridentinum *Seſſ.* 23. *cap.* 14. *aunum integrum* ( intellige ſecundum computum Eccleſiaſticum, tam hic, quam in antecedentibus ) *niſi ob Eccleſiæ utilitatem, ac neceſſitatem, aliud Epiſcopo videatur*. Hæc ſunt Interſtitia majori cum rigore obſervanda, quia eſt ultima probatio, ut Ordinando diſpenſatio Theſaurorum Dei credatur, cum ad ſupremam Sacerdotii dignitatem elevantur. Colligitur hoc, non ſolùm ex eo, quod Concilium

c au-

cauſas diſpenſandi determinavit, facultatem Epiſcoporum coarctando, ſed etiam, quod ad diſpenſationem intervalli aſſignati inter Acolytatum, & Subdiaconatum, ſolùm exigit neceſſitatem, aut utilitatem; Ad diſpenſationem verò horum Interſtitiorum utramque exigit: ibi utitur disiunctiva *aut*; hic copulativa *ac*; & ita notavit Barboſ. *in Trid. Seſſ.* 23 *cap.* 14. *num.* 2. cum aliis pluribus. Hieron. Rodrig. ap. Barboſ. explicat utilitatem, *quando pauci Miniſtri exiſtunt*, & neceſſitatem; *quando non ſolum habentur pauci Eccleſiæ Miniſtri, ſed etiam deficiunt idonei, & non idonei*, Bene verum eſt, quod hoc judicare debet Prælatus, ea latitudine, quam permittunt res morales.

Sed dicet aliquis: ſine cauſis adeo urgentibus videmus concedi à Summo Pontifice diſpenſationem Interſtitiorum in Brevibus vulgò dictis *de extra tempora*. Reſpondeo, quod Pontifex eſt ſupra Concilium, & poteſt pro ſua authoritate, rationabiliter in legibus Eccleſiaſticis diſpenſare, nec Concilium loquitur cum Sanctiſſimo, ſed cum Epiſcopis, qui quidem, utpotè inferiores, ſolùm poſſunt diſpenſare ob cauſas illis permiſſas a Concilio, cujus obſervantiæ adſtricti ſunt.

Di-

Diſpenſationes verò de extra tempora concedere conſueverunt Summi Pontifices arctatis ratione Beneficii, cum onere Miſſarum per ipſos celebrandarum, vel cum onere recipiendi Ordines Sacros, nec non habentibus onus Miſſarum per alios etiam celebrandarum; ita Nobilibus, Graduatis, aut trigeſimum ætatis ſuæ annum excendentibus, Prælatis, aliiſque benemeritis; imò attenta penuria Sacerdotum ob morbum epidemiæ, conceſſum fuit Indultum præfatum in Italia, ubi Peſtis graſſata fuit, ob penuriam peculiarem alicujus Eccleſiæ ab ordinario conteſtatam &c.

Sed hujuſmodi Indultis, ſeu Brevibus *de extra tempora*, Sapientiſſimè modum impoſuit Innocentius XII. a quo ſub die 14. Decembris 1693. expedita, & confirmata fuerunt Decreta, tenoris ſequentis.

## *Decreta Congregationis à Sanctiſſimo Domino Noſtro ſpecialiter deputatæ ſuper moderatione Indultorum ſuſcipiendi Ordines extra tempora a Jure Statuta.*

„ SAnctiſſimus Dominus Noſter Inno-
„ centius Papa duodecimus, pro Pa-

L „ ſto-

„ ſtorali ſuo in commiſſum ſibi Gregem
„ Dominicum Zelo, ac tuendæ Diſcipli-
„ næ Eccleſiaſticæ ſtudio proſpicere vo-
„ lens, ne Indulta ſuſcipiendi extra tem-
„ pora a Jure ſtatuta Ordines, nimis facilè
„ concedantur. Congregationi particu-
„ lari EE. DD. Cardinalium Carpinei,
„ Caſanatis, Mareſcotti, Colloredi, Pan-
„ ciatici, & Albani, nec non Illuſtriſſi-
„ morum DD. Sperelli, Ciampini, Sacri-
„ pantis, meique Secretarii infraſcripti
„ ſpecialiter deputatæ, expendendas com-
„ miſit cauſas, ex quibus præfata Indulta
„ tribui ſolent, ut Sanctitati ſuæ referri
„ poſſet, quæ ratio deinceps ineunda,
„ moduſque adhibendus videretur in con-
„ ceſſione ſimilium Indultorum.

„ Quæ quidem Congregatio in ædibus
„ præfati Eminentiſſimi Carpinei die 10.
„ Novembris, atque iterum 7. Decembris
„ anni currentis habita, re maturè diſcuſ-
„ ſa, cenſuit Indulta hujuſmodi, ſi San-
„ ctiſſimo placuerit, concedi poſſe ex cau-
„ ſis infraſcriptis, videlicet.

„ Ut quis Beneficio, vi cujus arctatur
„ ad Presbyteralem Ordinem ſuſcipien-
„ dum, vel alteri etiam perpetuo Bene-
„ ficio, quod obtinet, vel Capellaniæ ad
„ vitam ſibi conceſſæ per ſeipſum inſervi-
„ re

„ re poſſit. Ob penuriam Sacerdotum in
„ illis partibus, vel in Monaſterio pro
„ Regularibus. Ob ſolatium Patris, vel
„ Matris, dummodo quinquaginta ætatis
„ annos excedant, & Orator ſaltem per
„ triennium in Clericali habitu honeſtè, &
„ laudabiliter vixerit. Item concedi poſ-
„ ſe cenſuit eadem Indulta Referendariis
„ utriuſque Signaturæ, Familiaribus Sum-
„ mi Pontificis, Canonicis Cathedralis;
„ vel etiam Collegiatæ Eccleſiæ, eorum-
„ que Coadiutoribus, Magiſtris, ſeu etiam
„ Baccalaureis in Sacra Theologia; Do-
„ ctoribus utriuſque, vel ſaltem Canoni-
„ ci Juris, ſeu Licentiatis, dummodo ſin-
„ gulos præfatos gradus in publica, &
„ approbata Univerſitate obtinuerint; iis
„ etiam, qui ſaltem per triennium ſedu-
„ lam Theologiæ ſtudiis operam navave-
„ rint, ac tandem vigeſimum ſextum æta-
„ tis annum excendentibus, ſi per trien-
„ nium in Clericali habitu honeſte, &
„ laudabiliter vixerint.

„ E contra cenſuit non expedire, ut
„ eadem Indulta concedantur ex eo, quod
„ quis Diaconus, Subdiaconus, Littera-
„ rum Apoſtolicarum ſcriptor ſit, ſeu
„ Magiſter in Artibus, Nobilis, aut præ-
„ ſens in Curia, vel quod Philoſophiæ

„ curſum abſolverit, aut alicui Eccleſiæ „ adſcriptus fuerit, ad cujus ſervitii ti- „ tulum, ex Apoſtolico Indulto Clerici „ ordinari poſſunt, aut onus Miſſarum, „ non tamen ex Beneficio Eccleſiaſtico „ proveniens, habere ſe doceat.

„ Inſuper cenſuit, Indulta hujuſmodi „ deneganda eſſe iis, qui aliqua diſpenſa- „ tione indigent impedimenti ex eorum „ delicto provenientis; & Sede Epiſcopa- „ li vacante, infra annum à die vacationis, „ minimè danda iis, qui Beneficii Eccle- „ ſiaſtici recepti, ſeu recipiendi occaſio- „ ne, arctati non fuerint.

„ Item nunquam concedenda pro Fe- „ ſtivis diebus continuis, ſed ſemper pro „ interpolatis aliquo temporis ſpatio, ar- „ bitrio Epiſcopi definiendo.

„ Denique cenſuit Epiſcopos omnes, „ ac etiam Apoſtolicos Nuncios, & Le- „ gatos, Litteris in forma Brevis circula- „ ribus admonendos, decreviſſe Sancti- „ tatem ſuam, Indulta prædicta, non ita „ paſſim, ſed ex certis tantùm, legitimiſ- „ que cauſis concedere, nec Epiſcopos ad „ eorum executionem aſtringere, ſed il- „ lam ſemper ipſorum arbitrio, onerata „ eorumdem conſcientia, relinquere „. „ Item per eadem Indulta licentiam non

tri-

„ tribui promovendi quempiam ad Patri-
„ monii titulum, niſi ad normam Conci-
„ lii Tridentini Seſſ. 21. cap. 2. Eos verò
„ omnes, qui ab Apoſtolica Sede facul-
„ tates obtinent conferendi Ordines extra
„ tempora, vel aliis reſpectivè tribuendi
„ licentiam, ut conferant, maximè cave-
„ re debere, ne præſcriptos ſibi in iiſdem
„ facultatibus limites, cujuſvis conſuetu-
„ dins, aut exempli prætextu tranſgre-
„ diantur.

„ Hæc autem omnia, & ſingula ſupra-
„ ſcripta Decreta, audita ex me integra
„ eorum relatione, Sanctiſſimus Domi-
„ nus Noſter laudavit, & approbavit, ac
„ tàm in Dataria, & Secretaria Brevium,
„ quàm a cæteris omnibus Miniſtris, &
„ Officialibus Curiæ, ad quos pertinent,
„ perpetuò, & inviolabiliter ſervari man-
„ davit, ſublata omnibus quacumque fa-
„ cultate prędicta Indulta aliter, quam ad
„ formam eorumdem Decretorum in po-
„ ſterum expediendi. Hac die decima quar-
„ ta Decembris anno Domini Milleſimo
„ ſexcenteſimo nonageſimo tertio.

*Carolus Auguſtinus Fabronus Secret.*

Rationabilitas dictarum cauſarum faci-
lè dignoſcitur, quia vel procedunt ex mo-

tivo ſtudiorum, & graduum in Univerſitate approbata, quæ ſupponunt, vel fundamentum præbent ad judicandum, adeſſe ſufficientiam peculiarem in talibus laureatis, quorum promotionem utilem fore ſperatur; vel ex motivo ſervitii Eccleſiæ &c. In cauſis ætatis, & ſolatii Parentum ſenio confectorum, ſeu quinquaginta annis majoribus, additur conditio, quod per triennium Oratores in Clericali habitu honeſte, & laudabiliter vixerint, quod includit eſſe in Diſciplina Eccleſiaſtica, exercitatos, & á ſuis Prælatis probatos &c. & ſic de reliquis diſcurri poſſet.

Advertendum tamen eſt. Primo, Liberam hujuſmodi Indultorum executionem in manibus eſſe Epiſcoporum, quorum, conſcientias ſtrictiſſimè onerando ſuam exonerat Sanctiſſimus, ut ita, ſi oratores requiſitis a Tridentino non polleant dotibus, aut motiva expoſita ſuæ Beatit. vera non fuerint, ſeu diverſa ab eis, ad quæ moderatæ fuerunt conceſſiones, vel ſupplicantes gratia conceſſa digni non fuerint, ſed contrà expedire judicaverint, protrahi Interſtititia, & Ordinationem, Epiſcopi executionem differant toto tempore ipſis beneviſo, pro comperto habentes, rationem de Ordinibus datis, ſeù dilatis, ipſos,

& non

& non Sanctiſſimum Deo reddituros. Unde Epiſcopi ante executionem debent omnia hæc exactè examinare, & ſcire, quod hujuſmodi Indulta moderant quidem, ſed non tollunt juris diſpoſitionem.

Advertendum. Secundo, inter alias reſtrictiones, appoſitam eſſe ſequentem, ſcilicet, *non eſſe concedenda Indulta pro feſtivis diebus continuis, ſed ſemper pro interpolatis aliquo temporis ſpatio arbitrio Ordinarii definiendo*; propter varias congruentes rationes, & primo quidem, ut in illis diebus mediis, Ordinandus exercitiis Spiritualibus vacet, ac ſe preparet ad novi Ordinis receptionem. Secundo, ut ita creſcat magis amor Ordinis recipiendi; deſideria enim dilata creſcunt. Tertio, ut ſic etiam pluris æſtiment quod recipiunt, dum difficilius illud conſequuntur; Ea enim eſt conditio hominum, ut facile vilipendant, quod ſine difficultate, labore, aut pretio ſunt conſequuti. Similes congruentiæ rationes aſſignant aliqui, ut inter Sponſalia, & Matrimonium mediet ad minus Proclamationum tempus, ut ita inter Sponſos foveatur, & augeatur amor, & æſtimatio pignoris, cujus poſſeſſio illi differtur: quod potiùs militat in noſtro caſu. Unde in terminis ait Tiraquel. *de jur.*

*primogen. queſt. 17. opuſc. 1. num. 9. Vt tantum, & admirabile Evangelicum Sacerdotium debita reverentia ſumant, merito ſtatutum fuit in Eccleſia Dei, ne ſtatim illud accipiant; ne parvi habeant Sacerdotes Domini, quod non ſuſpirarunt prius dilatum.*

Advertendum. Tertio, dies Feſtos, in quibus juxta vim ſupradictorum Indultorum de *extra tempora*, Ordinari permittitur privilegiatis, debere eſſe Feſtivos de præcepto, hoc eſt ut à populo ſerventur abſtinentia ab operibus ſervilibus, & laboribus, vel quod ritu feſtivo in Eccleſia celebrentur, ut declaratum fuiſſe per Sacram Congregationem Concilii refert Fagnan. *in cap. de eo de temp. Ordin. n. 42.*

Advertendum Quarto, duos Sacros Ordines eodem die nunquam conferri poſſe. *cap. dilectus de tempor. ordin. cap. Litteras, eodem titulo*, ubi illicita dicitur Ordinatio facta die Sabbati in Diaconum, & continuato Jejunio die ſequenti in Psesbyterum. Et Concilium Trid. *Seſſ. 23. cap. 13. de Reform.* ita ſtatuit: *Duo Sacri Ordines non eodem die, etiam Regularibus conferantur; Privilegiis, ac Indultis quibuſvis conceſſis non obſtantibus quibuſcunque.* Quod Indultum poſt Concilium, datum nunquam fuit a Sede Apoſtolica. Unde Or-

Ordinati in una die in tribus, vel duobus Ordinibus Sacris incurrunt ſuſpenſionem quo ad omnes Ordines receptos: ex *Bulla 7. Pii Secundi. cum ex Sacrorum*. Et Sacra Congregatio Concilii hujuſmodi Ordinatos ſupponit incurſos in ſuſpenſionem, & non ſolùm concedit abſolutionem, quæ reſervata eſt Sedi Apoſtolicæ tantùm, ſed etiam diſpenſationem ab Irregularitate, ob adminiſtrationem ordinum; ut in *Neapolitana 6. Auguſti* 1711. *& in Bovenſi 7. Maii* 1707. Quam ſuſpenſionem non incurrere ipſo facto Epiſcopum Ordinantem teſtatur Teſaur. *p.2. cap.55. §. 4. verſ. Epiſcopus conferens*; cum ſuſpenſio, de qua *in cap. literas*, *& cap. dilectus de temp. ord.* non ſit latæ, ſed ferendæ ſententiæ reſpectu Ordinantis. Bene verò conceſſum fuit Indultum recipiendi tres Sacros Ordines in tribus diebus feſtivis, etiam continuis de præcepto, uti Patribus Societatis Jeſu, Alumnis Collegii de Propaganda Fide, Collegii Hibernorum &c. ut ſuo loco dicetur.

Advertendum Quinto, in Brevibus de *extra tempora*; quinque regulariter contineri diſpenſationes. Prima, ut quatuor Minores Ordines conferri poſſint unica vice. Secunda ut conferri poſſint die feriato, vel non feriato. Tertia diſpenſatio-

tio ſuper Interſtitiis quo ad tres Sacros; Quarta ſuper extra tempora; & Quinta ſuper exercitio Ordinum ſuſceptorum, ante quam ad alium perveniatur.

Hujuſmodi facultatem diſpenſandi ſuper extra tempora, ſolent Summi Pontifices etiam præbere Legatis, Nuntiis, Miſſionariis, & Epiſcopis propè Hæreticos, vel Infideles reſidentibus, & communicatur in formulis facultatum, quæ dantur per Congregationem de Propaganda Fide.

Nec Indultum iſtud ſuſcipiendi Ordines extra tempora conceſſum à Papa expirat, ſed habet vim, etiam ipſo Papa concedente mortuo, & quidem etiam re integra, ante inceptam executionem, quia gratia jam facta, eſt perpetua, & non directa executori, ſed ipſi Oratori, ac proinde non intrat regula revalidatoria novi Pontificis, quia ea loquitur de literis juſtitiæ, vel gratiæ, quæ habent ſuos executores; & in praxi ſervari dixit Corrad. *in praxi diſp. Apoſt. lib.* 4. *cap.* 6. *n.* 20. §. *ſicut*.

Advertendum Sexto, Prohibitionem canonicam, ne conferantur Ordines Sacri extra tempora, ſcilicet ſtatuta a Jure pro Ordinationibus peragendis, non comprehendere Ordinationes, quæ fiunt per Romanum Pontificem; expreſsè enim excipitur

tur iſte ab hac prohibitione, in *cap. de eo, de temp. Ord.*: ibi: *nulli Epiſcoporum, præter. quam Romano Pontifici liceat ordinare*, ſcilicet extra tempora. Et *in cap. 1. eodem tit.*: ibi: *Subdiaconos nulli, niſi Romano Pontifici, liceat in diebus Dominicis Ordinare*. Et ex ea ratione, quia Summus Pontifex non ligatur legibus, canonibuſque, in quibus ſemper exceptus dici debet, propter plenitudinem poteſtatis, quam habet; cumque tempus non ſit de ſubſtantia Ordinis, & determinatio illius ſit à lege poſitiva inducta, quæ Papam non arctat; hinc poterit iſte ſemper, ut ubique Sacros Ordines conferre. Proindeque, ſicuti poteſt Papa extra tempora Ordinare, ita diſpenſare, ut ab alio ſic ordinatio celebretur, ut ſunt ſupradictæ diſpenſationes, quæ conceduntur ab eo per literas Apoſtolicas in forma Brevis, & dicuntur diſpenſationes extra tempora, de quibus latè agit d. Corrad. *in praxi Diſpenſ. lib. 4. cap. 4.* Vel ob privilegia, quæ obtinuerunt Regulares aliqui, & Collegia, ut ordinari poſſint extra dicta tempora, ut ſupra innuimus.

## *NOTA TERTIO.*

QUo verò ad tempus ab Eccleſia præſcriptum ad Ordinum collationem, pro

pro iis, qui præmemorata Indulta non obtinent; Summi Pontifices veſtigia, & traditionem Apoſtolorum ſequentes, decreverunt, quod Sacri Ordines conferantur ſolùm in Sabbatis quatuor anni temporum, & in Sabbatis ante Dominicam Paſſionis, & Reſurrectionis D. N. Jeſu Chriſti. *Diſt. 75. per tot. & cap. de eo 3. de temp. Ordin.* Et aliis pluribus Apoſtol. Conſtitutionibus, quas affert. Hall. *de Sacr. Elect. & Ordinat. Secr. 7. cap. 1. art. 1. num. 5.* quæ quidem tempora peculiariter jejunio, & orationi conſecrata ſunt; & quia Quadrageſima eſt tempus adeò Sacrum, in quo Jejunium, & Oratio longius protrahuntur, tres generales Ordinationes intra eam habentur; & una ex præcipuis rationibus ad inſtituendum Jejunium quatuor temporum fuit, ut eo tempore Ordinationes celebrarentur. Licet enim hoc motivum ex nullo textu præfatæ diſtinctionis 75. ubi de inſtitutione prædicti Jejunii agitur, conſtet, ſufficit ad id afferendum auctoritas D. Thomæ, qui 2. 2. *queſt. 145. art. 5. in Corp.* rationes de congruitate, ſeu convenientia inſtitutionis Jejunii enumerans, ait: *Similiter etiam conſuetudo Eccleſiaſtica habet, ut in ſingulis quartis anni, Sacri Ordines conferantur . . . . ad quorum ſuſceptio-*

*tionem oportet per Jejunium præparari, & eos, qui Ordinant, & illos, qui Ordinandi ſunt; & etiam totum populum pro cujus utilitate ordinantur*. Et concludit: *Singula verò Jejunia quatuor temporum, tribus diebus continentur, propter numerum Menſium, qui competit cuilibet tempori, vel propter numerum Sacrorum Ordinum, qui his temporibus conferuntur*.

Ejuſdem Sententiæ eſt S. Joannes Chryſoſt. relatus a P. Corn. *in Act. Apoſtolor. cap.13. verſ.2. Jejunantibus*: ibi: *Jejunium enim ex Apoſtolorum uſu, & traditione ſolet præmitti Ordinationi, tùm ut fideles Dei gratiam ad idoneos Miniſtros Eccleſiæ Ordinandos Jejunio implorent, tùm ut Ordinandi Jejunio ſe diſponant ad recipiendum Ordinis gratiam*. Ita Sanctus Chryſoſtomus.

Aliæ rationes, & congruentiæ hujus Ritùs videntur, ut Oſtenderetur, eos, qui ad Sacros Ordines aſſumuntur, a ſæculi laboribus, ad requiem Domini tranſire, Gloſ. *in cap. Literas, ver. pertinere de temp. Ordin.* quem tranſitum non faciunt ordinati in minoribus, cum ad ſæculum redire valeant, vel juxta rationem adductam ab Honorio Auguſt. *in Gemma Animæ, num. 4. cap. 155.* relat. a Gonzalez *in cap. de eo*

*ſub*

*ſub num.*8. ubi ait. *Miniſtri Eccleſiæ, ideo in quatuor temporibus ordinantur, quatenùs ſub qũatuor Evangeliis Chriſto, & Eccleſiæ ſervire admonentur. In Quadrageſima idcirco ordinantur, ut Vitiis non marceant: in Vere ideo, ut virtutibus floreant, in ſeptimana Spiritus Sancti, & in æſtate ideo, ut ſint ſpiritu ferventes, Domino ſervientes: in Autumno, & in Feſto Tabernaculorum ideo, ut Mundo moriantur, & cum Chriſto in virtutibus renaſcantur.* Quam Diſciplinam ob perſecutiones initio Eccleſiæ paſſas, in ipſis primordiis non expediebat inducere, nec limitare tempus Ordinationum; ſicuti nec ea limitatione uſi fuerunt Apoſtoli, propter neceſſitatem conſtituendi Miniſtros in Eccleſiis, quas prædicatione ſua fundabant (nunquam tamen Ordinationes habuerunt, niſi præcedente Jejunio, & Oratione, ut patet ex locis Act. Apoſtol. relatis) verùm creſcente fidelium numero, & Eccleſiæ pace obtenta, optima ratione præfinitio iſta peracta fuit.

Volunt etiam aliqui, primos Summos Pontifices, uſque ad Simplicium, ſolùm menſe Decembri ordinationes celebraſſe, ſicque non licuiſſe eas aliis temporibus habere; ſed Hall. gravi innixus fundamento aſſeverat, quod ante Simplicium S. Leo

decla-

declaravit poſſe aliis temporibus celebrari.

Viguit etiam diutius in Eccleſia Ritus celebrandi Ordinationes in Veſperis; ſed ob plures circumſtantias obſolevit; tùm ob debilitatem Epiſcoporum Ordinantium, tàm diù Jejunium protrahere debentium, tùm ob multiplicitatem Ordinandorum, tùm etiam, quia reddita pace Eccleſiæ, libera fuit Ordinum adminiſtatio de die, & coram populo in Cathedrali Eccleſia, prout hunc morem confirmavit Sac. Conc. Trid. *cap 3. ſeſſ. 23. de Reform.*

Supradicta tamen diſpoſitio, & limitatio temporum ſervata non fuit in Oriente, cum quilibet dies, tempus proprium ſit, pro Ordinationibus peragendis, excepto Quadrageſimali, in quo tantùm diebus Sabbbti, & Dominicæ gradus Presbyteratus, & Diaconatus conferri poſſunt. *Cap. cum Secundum, & cap. quod traſlationem de temporibus Ordinationum.*

De tempore ab Eccleſia præſcripto ad Ordinum collationem agit latè Decretum Gratiani in ſupra citata *Diſtinc. 75. lib. 1. Decretal. tit. de temp. Ordin.* Barboſa *de poteſt. Epiſc. parte 1. alleg.* 17. Hall. *de Sac. elect. & Ordinat. ſect. 7. cap. 1. art.* 1. Unde qui plura cupit conſulat dictos Auctores locis cit...

NO-

## NOTA QVARTO.

ORdines Sacri, dum conferuntur, celebranda eſt Miſſa, idque ſervatum fuit etiam in Eccleſia primitiva, quæ Miſſa celebranda eſt ab Epiſcopo Ordinante, non autem ab alio Sacerdote coram illo, & quamvis Miſſa Epiſcopi Ordinantis non ſit de ſubſtantia Ordinationis, nec ſit irrita Ordinatio, ſed valida, uti communiter docent Theologi, & Canoniſtæ. S. Bonavent. *in Compend. Theol. lib. 6. cap. 36.* Barboſ. *de Poteſt. Epiſcopi Alleg.* 14. *n.* 16. Apoſtoli enim ſolùm per impoſitionem manuum dabant Spiritum Sanctum; tamen graviter peccant, tàm Ordinans, quam Ordinatus, ſed nullam cenſuram incurrunt, cum in nullo canone ſit hæc pœna adiecta, ſed benè poſſunt a Sacris ſuſpendi, per viam pœnæ ſuſpenſionis hominis.

An autem in ſuſpenſionem dilapſus, ob illegitimam Presbyteratus receptionem, incurrat Irregularitatem, celebrando Miſſam cum Epiſcopo Ordinante, dum recipit præfatum Ordinem; Affirmat Campanil. *in diverſ. jur. rub. 7. cap. 4. num. 16.* Bonac. *de Cenſur. in part. diſp. 3. q. 1. pun. 1. n. 9. & de Sacram. diſp. 8. q. un. pun. 5. n. 13.*

*n.* 13. & alii. Negant Diana *par.* 5. *trac.* 10. *reſol.* 37. cum pluribus cit. apud ipſum. Pax Jordan. *tom.* 1. *lib.* 3. *de re Sacra, tit.* 6. *n.* 218. Quaranta *V. ordo* §. *Ampliatio illa.* ubi quod hæc opinio recipiatur in praxi, & eſt communior, quia Miſſa tunc celebrata ab Ordinato in Presbyterum ab Eccleſia non habetur pro Miſſa ipſius Sacerdotis Ordinati, ſed eſt pars Ordinationis in Presbyiterum.

## NOTA QUINTO.

ORdines, aut extra tempora, vel ante legitimam ætatem, aut ſine literis dimiſſoriis, validè conferuntur, ſed illicitè. conſtat enim *ex cap. conſultationi, de tempor. Ordination.* ubi *Gloſ. verbo characterem*, ait: *& ita quocumque tempore conferatur, imprimitur Character, quia tempus non eſt de ſubſtantia Ordinis, ſic nec ætas impedit characterem, ſed punitur, qui recipit, quia interdicitur ei executio Ordinis ſuſcepti; ſic & Baptiſmus a quocumque conferatur in forma Eccleſiæ, tenet, licet a Judeo, vel Pagano collatus, quamvis ab iis recipi non debeat.* & ratio, quia prohibitiones, cum ſint ex jure poſitivo Eccleſiæ, nequeunt impedire effectum conſecrationis receptæ ab Epiſcopo habente poteſta-

tem conſecrandi. Eſt autem, uti dixi, illicita ordinatio, & ſic Ordinati ſunt ipſo jure ſuſpenſi, ex Conſtitutione VII. Pii II. & ex Concilio Trident. *Seſſ.* 14. *cap.* 2. *de Reform.* & *Seſſ.* 23. *cap.* 8. ac denique ex Conſtitutione Innoc. XII. incip. *Speculatores*. & ſi in ſuſceptis Ordinibus miniſtraverint, efficiuntur irrregulares, ex diſpoſitione ſupradictæ Pianæ Conſtitutionis, a qua irregularitate diſpenſari non poſſunt, niſi à Sancta Sede. Si autem Irregularitas eſſet occulta, tunc Epiſcopus poſſet diſpenſare, utendo facultate Trid. *Seſſ.* 24. *cap.* 6. *de Refor.*

A' quo autem poſſit concedi abſolutio a Suſpenſione, videtur, quod cum non fuerit reſervata in citata Conſtitutione Pii II. poſſit relaxari ab Epiſcopo; nam quamquam in Bulla Sixti V. fuerit indicta reſervatio contra malè promotos, tamen dicta Bulla fuit revocata, & redacta ad terminos Pianæ Conſtitutionis, & Concilii Tridentini per Clementem Octavum.

Circa ordinatos ante ætatem legitimam, vel extra tempora recurri etiam ſolet ad Sacram Pœnitentiariam: vel quia ut plurimum miniſtrarunt, tali ſuſpenſione durante, & ſic Irregularitatem contraxerunt, a qua uti dixi ſola Sedes Apoſtolica diſpenſa-

ſa-

ſare poteſt ; vel quia ſæpè Epiſcopi interminantur Excommunicationem contra non canonicè accedentes; & datur abſolutio à dicta ſuſpenſione, & diſpenſatio ab Irregularitate, cum clauſula; *dummodo de præſenti habeant ætatem*, ut notat Marc. Leon. *par. 3. pag. 292. verb. & lator legitimam ætatem expleverit.*



Digitized by Google

# CAPUT SEXTUM.

## Exteri, qui ad primam Tonſuram, vel ad Ordines, ſive Minores, ſive Sacros in Urbe volunt promoveri, neceſſariò debent exhibere.

I. LITERAS DIMISSORIALES proprii Epiſcopi in forma valida, Trid. Seſſ. 14. cap. 2. & ſeſſ. 23. cap. 8. de Refor.

II. *PROPRII PAROCHI* fidem, de vita, & moribus, ac Doctrinæ Chriſtianæ frequentia, pro tempore, quo in Urbe permanſerint, ut ſupra cap. 1. num. 4.

III.

Digitized by Google

III. *APPROBATIONEM* in publico examine habitam, ut in cap. 2. n. VII. & cap. 3. n. XI.

IV. *EXERCITIORUM SPIRITUALIUM* teſtimonium, aliaque requiſita, juxta Ordines recipien. in Superioribus capitibus enumerata.

## ADNOTATIONES.

### *NOTA PRIMO.*

SI Ordinandi ſint Diæceſani ſex Epiſcopatuum propè Urbem, Dimiſſoriæ debent eſſe directæ Vicario Urbis dumtaxat, & non aliis Epiſcopis, ex Conſtitutione Alexandri Septimi *ſub die 7. Auguſti 1662.* in qua Conſtitutione Decernitur; quod in dictis ſex Epiſcopatibus Cardinalitiis, ideſt, Oſtien., Portuen., Sabinien., Tuſculan., Albanen., & Præneſtinen., ubi tamen non ſunt ſuffraganei, quicunque promoveri deſiderant ad Minores, & Sacros Ordines, ad Urbem ſe conferre debeant; cum Literis Dimiſſoralibus ſuorum Ordinariorum, Emo Dño Cardinali Urbis Vicario dumtaxat directis, & non aliis

Epiſcopis, atque de ejuſdem mandato examinari debeant ab Examinatoribus in Urbe deputatis, non paucioribus, quam tribus, in locò ſolito examinis ſimul congregatis, & in eadem Urbe ordinari, præviis Exercitiis Spiritualibus per decem dies continuos, ante ſuſceptionem cujuslibet Sacri Ordinis, apud Patres Deputatos, nempe Miſſionis Romæ, ac præviis Publicationibus in Sacroſancta Lateranen. Baſilica, & in Eccleſia Parochiali eorumdem promovendorum.

Quod ſi iidem promovendi, in eadem Urbe commorati non fuerint, ſed dumtaxat pro ſuſcipiendis Ordinibus accedant, tunc de ſtylo, ſolùm in Baſilica Lateranenſi fieri debent Publicationes: quamvis enim in dicta Alexandrina Conſtitutione ſtatutum ſit, quod non ſolùm in præfata Baſilica, ſed etiam in propria Parochiali Eccleſia Publicationes præmittantur, intelligitur nihilominus de iis, qui per aliquod conſiderabile tempus in Urbe permanſerint, ratione cujus moræ, canonicum aliquod impedimentum contrahere potuiſſe prudenter dubitari poteſt, quod non videtur poſſe verificari de illis, qui paucis diebus ante ordinationem, ad eamdem Urbem acceſſerunt.

Ubi

Ubi verò ſunt Suffraganei, ut in Epiſcopatibus Veliternen., & Sabinen. ordinari quidem poſſunt a dictis Suffraganeis independenter ab Urbis Vicario, intra tamen ſuas Diæceſes; ſed promovendi ad Ordines Sacros peragere debent Exercitia Spiritualia in Domo Miſſionis Urbis, ſub pœna ſuſpenſionis, quo ad Suffraganeos in utroque caſu contrafacientes, *ab exercitio Pontificalium per annum*, quo ad promotos verò, tàm ab iiſdem Suffraganeis, quàm etiam in Urbe, *ab executione Ordinum*.

Et ſi contingat, quemlibet, tàm ex quatuor Epiſcopatibus, ubi non ſunt ſuffraganei, quàm ex duobus ubi ſunt, Ordinari intra, vel extra Urbem, reſpectivè, non ſervata forma in dicta Alexandrina Cônſtitutione præſcripta, Suffraganei incurrunt, ut ſupra, ipſo facto *Suſpenſionem ab exercitio Ordinum per annum*; promoti verò, tàm ab eiſdem Suffraganeis, quàm etiam in Urbe *ab exercitio Ordinum ſuſceptorum, donec Romano Pontifici viſum fuerit, eidem reſervatam*. Hujuſmodi autem ſuſpenſionis abſolutionem, & diſpenſationem ab Irregularitate, quatenus miniſtraverint, ſolet paſſim Sac. Congreg. Concilii concedere, audita relatione Emi Vi-

carii, ejus arbitrio, quod interponit, ubi prævio examine coram eodem Cardinali Vicario idonei reperti fuerint;ut in *Praneſtina* 2. *Auguſti* 1710. Ex quibus clare, etiam infertur.

Primo, quemquam ex præfatis Subditis, neque ab ipſomet Epiſcopo Cardinali ordinari poſſe in Urbe, abſque Vicarii licentia (quam tamen impertiri non poteſt, niſi reliqua omnia, quæ a dicta Conſtitutione præſcribuntur, omninò præmittantur) ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ ab exercitio Pontificalium,illatæ a Sac. Conc.Trid.*ſeſſ. 6. cap. 5. de Reform.*

Secundo,Infertur,ex dictis quatuor Epiſcopatibus Suffraganeo carentibus, poſſe Eminentiſſimos Cardinales Epiſcopos, abſque ullo indulto, ob nativam juriſdictionem, ſuos Subditos promovere ad Ordines, tàm Minores, quàm Sacros, ſi intra limites eorumdem Epiſcopatuum Ordinationes inſtituant, ut, præter praxim reſolvit Sac. Congregatio Concilii *in Tuſculana Ordinationis, ſub diebus* 29. *Januarii,&* 28. *Maii anni* 1695. & firmat etiam Eminentiſſimus Petra *in Comment. ad Conſtit.* 7. *Pii II. tom.* 5. *num.* 79. Quia licet citata Conſtitutio ſtatuat, promovendos ex dictis quatuor Epiſcopatibus, dirigi debere

ad

ad Urbis Vicarium, ac Romæ & non alibi Ordinari, intelligendum tamen eſt in ea tantum hypoteſi, quà ipſi Ordinationes non habeant, cum tunc ob carentiam etiam Suffraganei, opus ſit aliò eos dirigere, in quo caſu, directio reſtricta eſt ad Urbis Vicarium.

Quod patet etiam ex diſcretiva locutionis ejuſdem Conſtitutionis; ſi enim ubi ſunt Suffraganei dirigi minimè debent ad Urbis Vicarium, ſed poſſunt ibi ab ipſis Suffraganeis Ordinari, a fortiori poterunt Ordinari, ubi ipſimet Epiſcopi ſunt præſentes, & Ordinationes inſtituunt, alias cum nativa poteſtate eſſent deterioris conditionis, quàm Suffraganei cum dativa. Dicendum ergo eſt, hanc Pontificiam proviſionem reſpicere tantùm caſum Epiſcopi abſentis.

Tertio, Infertur, eos poſſe id peragere, nedum cum per ſeipſos Ordinationes inſtituunt, ſed etiam per quemcumque alium Antiſtitem, cum Catholica Romana Eccleſia communionem habentem, intra tamen terminos ſuorũ Epiſcopatuum. Quamvis enim in ſolis Epiſcopatibus Veliterno, & Sabinenſi adſint Suffraganei, eſt tamen in eorum poteſtate Suffraganeos, etiam in his aliis quatuor, vel perpetuò,

vel

vel ad tempus deputare, cum hoc ſolo diſcrimine, quod dicti duo Epiſcopi, ob amplitudinem Diæceſis, & animarum numerum, arctantur eoſdem Suffraganeos ibi retinere, ex Decreto Conſiſtoriali Urbani VIII. ſub die 20. Auguſti 1629. Reliqui verò quatuor poſſunt tantùm, ſi velint, ut clarè conſtat ex verbis ejuſdem Decreti: *Quod ſpectat ad alias Eccleſias, cum animarum numero minore refertæ ſint, circa Suffraganei Perſonam, Cardinalium ſolùm conſcientiam oneramus.*

Et ita etiam reſolvit Sacra Congregatio Concilii in antedicta *Toſculana Ordinationis*; poſtquam enim in prima propoſitione habita ſub die 29. Januarii reſpondit: *potuiſſe tamen Eminetiſſimum Epiſcopum impertiri licentiam Ordinandi Oratorem alteri Epiſcopo in ſua Diæceſi, ſervata in reliquis Conſtitutione Alexandrina*: In Secunda propoſitione ſub die 28. Maii, ad primum dubium ſic reformatum: *An Orator poſſit licitè Ordinari, etiam ad Sacros Ordines in Civitate Tuſculi a Suffraganeo Veliternen. de licentia Eminentiſſimi Epiſcopi Tuſculani*: reſpondit: *affirmativè*.

Quarto. Infertur, horum quatuor Epiſcopatuum ſubditos, etiam ſi promoveantur ab ipſiſmet Cardinalibus Epiſcopis, vel

vel de eorum licentia, ab alio Antiſtite, intra limites dictorum Epiſcopatuum, teneri ſervare in reliquis Conſtitutionem Alexandrinam, quo ad Exercitia Spiritualia, decem dierum ſpatio in Domo Miſſionis Urbis, ut ex ſupradicta reſolutione Sac. Congregationis.

Quinto. Infertur, quod cum in dicta Conſtitutione, nulla fiat mentio de prima Tonſura, ad hanc ſubditi cujuſcumque ex his ſex Epiſcopatibus initiari poſſunt cum literis Dimiſſorialibus ſuorum Epiſcoporum a quocunque Antiſtite, etiam extra Diæceſim, ut reſolvit eadem Sac. Congregatio *in Albanen.* ſub die 16. Februarii 1704.

## NOTA SECUNDO.

NOn admittuntur dimiſſoriæ, etiam pro prima Tonſura, in quibus non contineatur cauſa, ob quam a proprio Epiſcopo Ordinari non poſſint illas obtinentes. *Conc. Trid. ſeſſ.* 7. *cap.* 11. *de Refor.* (exceptis dimiſſ. ſupradictorum ſex Epiſcopatuum;) neque dimiſſoriæ Abbatuum, & aliorum quorumcumque Prælatorum inferiorum, etiam ſi nullius Diæceſis, vel exempti eſſe dicantur, niſi conſtet de Speciali Privilegio Apoſtolico, ad hunc effectum.

ctum. *Trid. ſeſſ.* 23. *cap.* X. *de Reform.* & ex decretis Sac. Cong. apud Fagnan. *in capite Significaſti de Officio Archidiac. in Secundam part. prim. lib. Decretal.*

Neque ultra bimeſtre, vel tres menſes a die datæ. *Sac. Congr. in una Averſana* 4. *Decembris* 1666. *Sac. Congregatio Immunitatis in una Lycien.* 7. *Septembris* 1624. *Concil. Provincial.* 4. *Mediolanen. de his, quæ pertinent ad Sacram. Ordin.*

His tamen non obſtantibus, puto, quod quamvis Dimiſſoriæ ſint determinatæ pro proximiori Ordinatione, protrahi poſſe, ex juxta cauſa, Ordinationem ad alia tempora immediatè ſequentia; nam differre non eſt defectus, ſicuti eſt anticipare, dummodo tamen debito tempore fuerint exhibitæ, & promovēdus a die datæ dimiſſ. ſemper in Vrbe permanſerit, habeatque bonum teſtimonium de ſuis, vita, & moribus: ſecus dicendum eſſet, ſi ad Vrbem accederet poſt tres Menſes à die datæ, & in hoc ſenſu puto intelligendas ſupradictas declarationes Sac. Congregationis; dubitari enim poſſet de aliquo impedimento.

Nec etiam Dimiſſoriæ a Vicariis Generalibus Subſcriptæ, multo minus cum diſpenſatione ſuper Interſtitiis; niſi habeant ſpeciale mandatum, vel Epiſcopus in remo-

tis

tis abſit, de quibus in dictis Dimiſſorialibus expreſſa mentio fieri debet. ex *cap. cum nullus de temporibus Ordinationum in ſexto, ver. Officiales*, & §. *Epiſcopo. ubi Gloſſa ver. in remotiſ.* Barboſa *de poteſtate Epiſcopi p. 2. Allegatione 7. n. 9.*

Nec cujuſcumque Vicarii, vel Officialis capitularis, niſi cnm expreſſione, quod ſit lapſus annus a die vacationis Sedis, vel quod Ordinandus ſit arctatus occaſione Beneficii Eccleſiaſtici recepti, vel recipiendi. Trid. *ſeſſ. 7. cap. X. de Refor.* Capitulum, enim ſede vacante, vel ejus Vicarius, intra annum vacationis, a morte Epiſcopi, non poteſt licitè dimiſſorias concedere ſub pœna *Interdicti Eccleſiaſtici*. Ipſi verò Ordinati, ſi in Minoribus, privantur privilegio Clericali: ſi in majoribus ſuſpenduntur ab executione Ordinum ad beneplacitum futuri Prælati.

Si autem Epiſcopus, poſt conceſſionem Dimiſſorialium, ex infirmitate decederet, adhuc, ſi expeditæ non eſſent pro illis ſubditis, quibus nominatim conceſſæ fuerunt, poſſent expediri a Vicario Capitulari, etiam intra annum Sedis vacantis, ut probat Barboſ. *de offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 7. num. 23.* quia Dimiſſorialium conceſſio eſt gratia, quæ non expirat morte

con-

concedentis, vel eo ab officio ceſſante, niſi per ſucceſſorem revocentur. Paſqualig. *ad Lauret. de Franc. par.* 1. *num.* 275. *& ſequen.* Paſſerin. *in cap. cum nullus num.*142. *de temp. ord. in ſeſto.*

Inſuper in dictis Dimiſſorialibus, ſicut etiam in Teſtimonialibus, quæ conceduntur ab Epiſcopis, debet exprimi in Titulo: *Miſeratione Divina, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ gratia Epiſcopus N.&c.*Rebuff.*lib.*1. *Praxis Benefic. requiſit. ad Litteras Tonſuræ pag.* 14.: ibi: *etiam in his litteris ſolet deſcribi Miſeratione Divina, & Sanctæ Sedis gratia, ut etiam a Sancta Sede recognoſcat, ſe Epiſcopatum habere. cap. Ego N. de Jure jurando; alioqui privari poſſet Epiſcopatu, ſi nollet recognoſcere Sedem Apoſtolicam, ut ſcripſi in Art.* 11. *Tract. Ut Beneſ. ante vacat. in Conſt. Reg. ubi ſcripſi, illos Principes, qui neminem, niſi ſolum Deum in temporalibus recognoſcunt, hac phraſi uti ſolere, gratia Dei, ſeu Divina gratia, ſeu Clementia, alios verò non, maximè Epiſcopos, niſi ſapiant hæreſim, volentes Papam ſua dignitate privare, & tunc Papa debet eos Epiſcopatu ſtatim privare, quia ſic indignos ſeſe reddiderunt, & ego vidi quemdam Epiſcopum, qui nolebat hanc adiicere clauſulam, ideo præſumendum erat contra eum, & exitus acta probavit.*

Et

Et in Dimiſſorialibus pro Ordinibus Sacris, debent hi neceſſariò exprimi; nam ſi concederentur abſolutè ad omnes Ordines, adhuc non venirent Sacri. Lauret. de Franch. *Contr. par.* 1. *num.* 271.

Et quamvis iidem promovendi, a proprio Ordinario fuerint in Litteris dimiſſorialibus approbati, adhuc in Urbe iterum examinari debent, vigore Bullæ Alexandri VII. Extra verò Urbem, eſt in arbitrio Epiſcopi Ordinantis, ut reſolvit Sac. Congregatio Concilii in Verulana 17. Januarii 1693.

Ut autem evitentur fraudes nonnullorum, cum falſis Dimiſſorialibus accedentium, hæc præcipuè obſervanda ſunt. Primum, an dictæ Dimiſſoriæ ſint in aliqua parte vitiatæ, deformatæ, ſeu deletæ, præcipuè in data, & in ſubſcriptione Epiſcopi, vel ſi directæ uni Epiſcopo, illius nomine abraſo, ſit alius ſubrogatus, ſeu conceſſæ pro Ordinibus Minoribus extenſæ ſint ad Sacros, & ſi conceſſæ Paulo, nomine mutato, exprimatur Petrus. Secundo. An contineant in Conſtitutione defectum notabilem, uti eſſet, ſi non eſſent confectæ juxta conſuetam formam, ſed ſubſtantialiter diverſam, vel plures gramaticales errores continerent. Tertio. An Sigillum ſit ve-

veridicum, benèque impreſſum, & non ab alia antiqua Dimiſſoriali, ſeu Teſtimoniali, ut non rarò accidit, deſumptum, & novæ affixum. Quarto. An fiat expreſſa mentio Tituli, ad quem illas exhibens petit promoveri. Hujuſmodi enim defectus magnum præſeferunt falſitatis indicium, & licet non ſemper ſint falſæ, tamen aliquando tales ſunt; ideoque, niſi aliundè certitudo de legitimitate habeatur, omninò reiciendæ ſunt, ſeu potius abſque executione retinendæ, donec legitimitas illarum probetur, ne ſi fortè falſæ ſint, alios Epiſcopos decipiant.

Denique, exequi non poſſunt a Vicario Urbis, nec ab alio Epiſcopo, niſi ſint ipſis reſpectivè directæ, ſeu cuicumque Catholico Antiſtiti; nec aliàs exequendæ, quàm juxta formam ab Ordinario præſcriptam.

Advertendum eſt inſuper, in dictis Dimiſſorialibus, quæ diriguntur Vicario Urbis, poſt Clauſulam: *dummodo idoneus, & habilis reperiaris*, non debere eſſe alteram: *ſuper quo Conſcientiam Ordinantis oneramus*; quia propter reverentiam debitam Cardinalibus, quibus, nec Papa reſcribendo, vel cauſas delegando jubet, ut juſtitiam faciant, ſed tantùm ut audiant, & de-

& decidant, omittitur, ne per talem clauſulam, illi injuriam inferri videatur, ut obſervat *Zacch. de Repub. Eccleſ. tit. de ſtat. Cardinal. num. 9. privil.* 11. *Dian. part.* 5. *trać.* 2. *reſol.* 37. Quod ſi deficiat ſubſcriptio Secretarii, ſeu Cancellarii, admitti poſſunt, quia talis defectus, uti tenet citatus Rebuffus, non eſt ſubſtantialis, atque adeo non inducit nullitatem.

Dixi ſupra, Dimiſſorias Abbatuum admitti non poſſe, niſi conſtet de ſpeciali privilègio Apoſtolico poſt Concilium: Abbates enim *Nullius*, qui vigore Privilegiorum Apoſtolicorum facultatem habebant, litteras Dimiſſoriales concedendi ſuis ſubditis Sæcularibus, ad effectum ſuſcipiendi Ordines, non amplius habent, quia (ut in cap. duodecimo de Regularibus fuſius videbimus) dictis Privilegiis, expreſsè derogatum fuit per Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 23. *de Reform. cap. X.* quod incipit *Abbates*. Quare Abbates, qui poſt Concilium Litteras Dimiſſoriales concedunt, novum ſpeciale indultum a ſummis Pontificibus obtinuerunt, quorum aliqua in libro Privilegiorum Secretariæ Tribunalis adnotata reperiuntur; uti Abbatis Farfen.; Nonandulæ, Montis Caſini, S. Martini &c. Videatur Fagnanus *in ſe-*

*cunda parte lib. primi Decretalium*, *cap. ſignificaſti, de Officio Archidiaconi, a num.* 23. *uſque in finem*.

## NOTA TERTIO.

ORdinati cum falſis Dimiſſoriis, ſunt ipſo jure ſuſpenſi. *Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 2. *de Reform.* & *ſeſſ.* 23. *cap.* 8. *de Reform*. Pius Secundus *Conſtitut.* 7. *contra malè promotos*. Et quo ad primam Tonſuram, vel Minores Ordines, prævia declaratione Judicis, privantur Privilegio fori. *Urbanus VIII. Conſtitut.* 35. *quæ incipit Secretis*. cujus Conſtitutionis vigore, quo ad Ultramontanos, ſupradicta Suſpenſio eſt reſervata Sedi Apoſtolicæ.

Quo verò ad Ordinatos ſine Litteris Dimiſſorialibus, licet non fuerit reſervata Sedi Apoſtolicæ Suſpenſio in dicta Conſtitutione Piana, fuit tamen reſervata Epiſcopis propriis, ut ex verbis Concilii *Seſſ.* 23. *cap.* 8. patet ibi: *a Suſceptorum Ordinum executione, quamdiù proprio ordinario videbitur expedire, ſit Suſpenſus*, & iiſdem verbis uſus fuit Innocentius XII. in Bulla *Speculatores*; ſolent tamen recurrere ad Sacram Congregationem Cocil. vel Epiſcoporum iſti ita Ordinati pro abſolutione, vel quia adeſt aliquod dubium, an incur-

re-

rerint, ex eo quod anceps ſit quis fuerit Ordinarius, vel quia celebrarunt cum dicta Suſpenſione, itaut requiratur diſpenſatio ab Irregularitate, danda per Sedem Apoſtolicam, ſed ante abſolutionem, Sac. Congregatio requirit informationem Ordinarii, vel prætenſorum Ordinariorum, & eam deinde remittit arbitrio proprii Ordinarii Spreti. Et idem dicendum de ſubdito Regulari in Ordine ad ſuum Prælatum Regularem. Si verò ſic Ordines Minores ſuſcipiant, non incurrunt Suſpenſionem, nec ſi in eis miniſtrent irregularitatem. *Ex Extravag. S. Pii V. cum ex Sacrorum*: ſed peccarent mortaliter, niſi Prælatus dictam ſuſceptionem ratam haberet, Trid. *Seſſ.* 23. *de Reform. cap.* 8.

Qui verò dolo, & fictione proprium Epiſcopum decipiendo, ab eo obtinuit Dimiſſorias, vi quarum fuit Ordinatus in Sacris, an ſit Suſpenſus? Affirmat Suarez, Reginal. & alii apud Dianam *p.* 5. *tr.* 10. *reſ.* 55. quia facultas non extenditur ultra mentem concedentis; Unde hic Ordinatur ſine licentia. At Felix Poteſt. *in Exam. Ordinand. Tom. III. par.* 1. *q.* 11. aſſerit ſolùm peccare mortaliter, ſed non eſſe ſuſpenſum, quia licet dolo, & cum fictione obtinuerit, revera tamen Ordinatur cum dimiſſoriis veris.

Eximuntur ab hac obligatione exhibendi Litteras Dimiſſoriales ſuorum Ordinariorum dumtaxat Alumni Collegiorum Apoſtolicorum Urbis, qui vigore ſuorum Privilegiorum Ordinantur ad Titulum Miſſionis, cum præſentatione Eminentiſſimorum Dominorum Cardinalium Protectorum, ſeu RR. PP. Rectorum, ut de ſingulis infra, Cap. 17. Item Excipiuntur Familiares, & Cubicularii Summi Pontificis, de quibus pariter in dicto capite.

## NOTA QVARTO.

QUæ huc uſque dicta ſunt de ſubditis alienis non Ordinandis ſine Litteris Dimiſſorialibus propriorum Ordinariorum, Romanum Pontificem non attingunt, qui cum ſit Paſtor Univerſalis Eccleſiæ, omnes fideles illi ſubduntur, & proinde poteſt cujuſque Epiſcopi ſubditum Ordinare. Vnde Julius Papa primus *Ep. cap.* 6. cum ſtatuiſſet; *ut nullus Epiſcopus alterius Parochianum præſumat retinere, aut Ordinare, abſque Epiſcopi voluntate*: Statim addidit, *ſalva tamen in omnibus Apoſtolica auctoritate*, ac de hujuſmodi Apoſtolica facultate fit mentio per Concilium Tridentinum *cap.* 11. *ſeſſ.* 7. *de Reform.* ubi facultates Apoſtolicæ de promovendo

do a quocumque, non Suffragari volvit, niſi habentibus legitimam cauſam, ob quam a propriis Epiſcopis Ordinari non poſſint, in litteris exprimendam, & tunc non Ordinentur, niſi ab Epiſcopo in ſua Diæc: reſidente, aut pro eo Pontificalia exercente, & diligenti prævio Examine.

# CAPUT SEPTIMUM.

## Pro iis, qui ſunt de Regno Neapolis, ad primam Tonſuram, vel ad Minores Ordines promoven. Requiſita.

I. D*IMISSORIÆ* proprii Epiſcopi, in forma valida.

II. *PROPRII PAROCHI FIDES*, ut in præcedenti cap. num. 2.

III. *EXAMEN*, & approbatio, ut dicto cap. num. 3.

IV. *EXERCITIA SPIRITUALIA*, & alia requiſita, ut in Superioribus capitibus dictum eſt.

AD-

## ADNOTATIONES.

### *NOTA PRIMO.*

Litteræ Dimiſſoriales fieri debent, cum expreſſione, quod Nominibus, ac deſiderio eorum, qui volunt promoveri, publicè in Eccleſia a Parocho, vel alio, de Epiſcopi mandato propoſitis, de ipſorum Ordinandorum natalibus, ætate, moribus, & vita, a fide dignis diligenter ſit inquiſitum. Iſuper debent eſſe directæ uni, & certo Epiſcopo, & pluribus directæ ſunt nullæ; ac aliter promotus ab executione Ordinis collati, & a ſuſceptione Superioris Ordinis perpetuò ſuſpenſus remanet, ulterius condignis pœnis puniri debet. Ordinans verò, vel dimiſſorias concedens; a collatione Ordinum per annum eo ipſo ſuſpenſionem incurrit. *ex Decreto Sacræ Congregationis ſuper negociis juriſditionalibus Regni Neapolitani, de mandato S. M. Gregorii XV. 22. Junii* 1623. cujus tenor eſt ſequens.

### *Decreta Sac. Congregationis Immunitatis.*

„ SAcra Congr:gatio, ex vivæ vocis
„ oraculo, habito a Sanctiſſimo, nec

„ non de ſpeciali ejus Ordine, præcipit, &
„ mandat Regni Archiepiſcopis, & Epi-
„ ſcopis, & aliis Ordinariis inferioribus,
„ ut antequam ad primam Tonſuram, ſi-
„ ve ad Minores Ordines aliquem promo-
„ veant, Parocho, ſeu alteri, cui magis
„ expedire videbitur committant, ut no-
„ minibus, & deſiderio eorum, qui vo-
„ lunt promoveri, publicè in Eccleſia pro-
„ poſitis, de ipſorum Ordinandorum na-
„ talibus, ætate, moribus, & vita a fide
„ dignis diligenter inquirant, & litteras
„ Teſtimoniales ipſam inquiſitionem fa-
„ ctam continentes, ad ipſum committen-
„ tem quamprimum tranſmittant, ad hoc
„ ut, tàm ex his, quàm ex aliis, ex Sac.
„ Conc. Trid. præſcripto ſeſſ.23. cap. VII.
„ de Reform. adhibendis diligentiis, ſibi
„ conſtet, promovendos, illis eſſe quali-
„ tatibus præditos, quæ per Sacr. Canon.
„ idemque Concilium requiruntur. Quod
„ & obſervent in Litteris Dimiſſioriis con-
„ cedendis, in quibus exprimatur, præfa-
„ tas diligentias præceſſiſſe. Dictæ autem
„ Litteræ Dimiſſoriæ, uni tantùm, & certo
„ Ordinario, ad electionem concedentis,
„ impoſterum dirigantur, & pluribus di-
„ rectæ ſunt nullæ; prædictaque vult in-
„ violabiliter obſervari, donec aliud fue-
„ rit

„ rit Ordinatum; ſi quis verò contra for-
„ mam præſentis decreti fuerit ad primam
„ Tonſuram, ſive ad Minores Ordines
„ promotus, ab executione collati, & à
„ ſuſceptione Superioris Ordinis perpetuò
„ ſuſpenſus ſit, & ulterius condignis pœ-
„ nis puniatur. Ordinans verò, vel Di-
„ miſſorias concedens, ultra divinam ul-
„ tionem, quam incurret, a collatione or-
„ dinum, per annum ſuſpenſus ſit eo ip-
„ ſo. Præterea iiſdem Ordinariis enixè in-
„ jungit, ut Decreta per Sacros canones,
„ Sacrumque Concilium Tridentinum,
„ & Apoſtol. Conſtitutiones, quo ad de-
„ lationem Clericalis habitus, & Tonſu-
„ ræ, ſervitiumque Eccleſiæ præſtan-
„ dum, ita curent per hujuſmodi Clericos
„ obſervari, & in eos, qui contra fece-
„ rint, ſtatutis per ea pœnis animadver-
„ tere, ut ipſi nequeant de damnabili cir-
„ cà hæc negligentia redargui. Romæ X.
„ Kal. Julii 1623.

Quod Decretum refertur a Nicol. *Lucubr. can. lib.* 1. *tit.* 2. *de tempor. ordin. num.* 34. nec compræhendit Regulares, neque Ordinandos in Sacris, nec etiam in Minoribus, ſi Ordinentur vigore Brevis Apoſtolici, ſive ſit ſuper extra tempora, ſive ſuper Interſtitia tantùm, neque exte-

ros

ros, qui poſſunt ab Epiſcopis Regni Ordinari, cum Dimiſſoriis ſuorum Ordinariorum, licet non ſint directæ ad certum Epiſcopum.

## NOTA SECUNDO.

Vigore noviſſimorum concordatorum inter Sanctam Sedem, & Majeſtatem Regis Neapolis, ſubſcript. ſub die 2. Junii 1741. Nemo ex dicto Regno Oriundus poteſt prima Clericali Tonſura inſigniri, niſi de Beneficio Eccleſiaſtico, aut perpetua Cappellania proviſus ſit, quorum redditus, & proventus, ſaltem ad medietatem Taxæ ſtatutæ pro Patrimonio Sacro in Diæceſi promovendi aſcendant.

Quod ſi Epiſcopus, pro utilitate, aut neceſſitate Eccleſiæ, aliquem prima Clericali Tonſura inſignire judicaverit, etiam ſi nullum habeat Beneficium, aut Cappellaniam, id facere poteſt, & litteras dimiſſorias concedere, ſed in caſu dumtaxat, quod initiandus poſſideat Eccleſiaſticam perpetuam penſionem annui redditùs aſcendentis, ſaltem ad medietatem Taxæ ſtatutæ pro Patrimonio Sacro in ſua Diæceſi, vel integrum Patrimonium ad formam Taxæ Synodalis; quod Patrimonium ad evitandas fraudes, non aliàs, quàm ſuper bonis ſtabilibus fructiferis conſtitui

po-

poteſt,dummodo tamen ipſius annui redditus non minores ſint viginti quatuor ducatorum Monetæ Regni, neque majores quatraginta.

Præter requiſitum Beneficii, Cappellaniæ perpetuæ, aut Penſionis Eccleſiaſticæ, ut ſupra dictum eſt, ſive integri Patrimonii, nemo prima Clericali Tonſura inſigniri poteſt, niſi poſt decimum ſuæ ætatis annum, in aliquo Seminario, aut Eccleſiaſtico convictu, ſaltem per triennium commoratus fuerit; Vbi autem id fieri non poteſt, niſi ſaltem per triennium in clericali habitu honeſtè, & laudabiliter inceſſerit, ac toto triennio, vel ſaltem pro majori parte Feſtorum de præcepto, cujuslibet ex dictis tribus annis, alicui Eccleſiæ, juxta formam a proprio Epiſcopo præſcribendam, ſervitium præſtiterit.

Illis verò, qui cauſa ſtudii, ad aliquam Vniverſitatem, vel alium locum ſe contulerint, tempus permanentiæ in dictis locis pro convictu Eccleſiaſtico computatur, dummodo de licentia proprii Epiſcopi id faciant, ac cum litteris commendatitiis ejuſdem, Epiſcopo loci, in quo moras ducere deſiderant, ſe præſentent, ac cum directione hujus, ſervitio alicujus Eccleſiæ adſcribi curent, deferendo habitum

Cle-

Clericalem, & præſtando per triennium, vel ſaltem pro majori parte cujuslibet, ex tribus annis, ut ſupra, illud idem ſervitium Eccleſiæ ſibi aſſignatæ, quod præſtarent, ſi in propria Diæceſi reſiderent; ac cum expreſſa conditione, quod prò obtinenda prima Clericali Tonſura exhibere teneantur proprio Ordinario litteras Teſtimoniales Epiſcopi loci, in quo moras duxerunt, ſuper vita, & moribus, & quod exactè adimpleverint, quæ ipſis præſcripta ſunt.

Ab hac obligatione exhimuntur dumtaxat, qui ratione Eccleſiaſtici Beneficii, vel perpetuæ Cappellaniæ reperiuntur arctati; iſti enim poſſunt prima Tonſura inſigniri, etiam ſi leges præſcriptas obſervare non valuerint, nempe délationem habitus Clericalis, frequentiam Scholæ, & Sacramentorum, triennale Eccleſiæ ſervitium, ac etiam ſi ætatem ſupra præſcriptam non habeant; dummodo tamen hujuſmodi Beneficia, & Cappellaniæ verè ſint Eccleſiaſticæ, ſcilicet auctoritate Eccleſiaſtica perpetuò fundatæ, & Titulo collativo, aut inſtitutione conferantur, ac inſuper dummodo ipſorum Beneficiorum, & Cappellaniarum annui redditus, deductis oneribus, conſtituant, ſaltem medietatem Taxæ pro Patrimonio Sacro Statutæ in propria promovendorum Diæceſi. CA-

# CAPUT OCTAVUM.

## Pro Clericis Exteris, qui ratione Beneficii in Urbe exiſtentis, ac per eos pacificè poſſeſſi, volunt ab Emenentiſſimo Urbis Vicario, abſque litteris Dimiſſoralibus propriorum Ordinariorum, ad alios Ordines promoveri, requiruntur.

I. LITTERÆ TESTIMONIALES proprii Epiſcopi, tàm originis, quàm Domicilii (ſi alibi moras duxit ordinandus) ſuper ſuis natalibus, ætate, moribus, & vita. *Conſtitutio Innocentii XII. quæ incipit Speculatores.*

II.

II. *QUOD BENEFICIUM* ejus ſit redditus, ut ad congruam vitæ ſuſtentationem, juxta morem Regionis, deductis oneribus, per ſe ſufficiat, & pacificè poſſideatur, ſublata facultate ſupplendi, quod deficeret, cum adiectione Patrimonii, etiam pinguis, quod ipſe Ordinandus in Urbe, ſive in alia quavis Diæceſi poſſideret. *d.Conſtitutio Innocentiana*.

III. *PROPRII PAROCHI* Fides de vita, & moribus &c. ut ſupradicto Cap. n. 2.

IV. *EXAMEN, ET APPROBATIO*, ut eodem capite num.3.

V. *EXERCITIA SPIRITUALIA*, aliaque requiſita, juxta Ordines recipiendos, de quibus fusè in antecedentibus capitibus.

# ADNOTATIONES.

## NOTA PRIMO.

SÆcularibus ad Ordines promovendis, triplex Suffragatur Titulus, videlicet, *Originis* (de quo aliqua innuimus in additionibus ad Cap. I. hujus libri) *Domicili*, (de quo in cap. ſequenti) ac *Beneficii* (de quo in præſenti) *cap. cum nullus de temporibus Ordinat. in 6.* His addendus ex Tridentino *Seſſ. 23. de Reform. cap. 9. Titulus Familiaritatis*, ac de hiſce prædictis omnibus Titulis, ſemper recolendæ Memoriæ Innocentius XII. ut diſciplinæ Eccleſiaſticæ conſuleret; & ut ſacrilegam impudentiam illorum hominum compeſceret, qui denegatos ſibi meritò a propriis Præſulibus Ordines Clericales, ab alienis Epiſcopis, non quæ Jeſu Chriſti ſunt quærentes, ſuſcipere non erubeſcebant, ſub minus legitimis Beneficii Eccleſiaſtici, Originis, Domicilii, familiaritatis, ac commenſalitatis Titulis, in celeberrima ſua Conſtitutione, quæ incipit *Speculatores*, decrevit, declaravitque. Primo. *Nulli Epiſcopo, tametſi Cardinalatus honore fulgeat, licere exterum quempiam, ac ſibi ratione ori-*

gi-

*ginis, ſeu Domicilii; juxta modum inferius, declarandum, legitimè contracti, non ſubditum, ad Clericalem Tonſuram promovere, cujuſvis Beneficii Eccleſiaſtici ei ſtatim, ac Tonſura hujuſmodi inſignitus fuerit conferendi, ſeu ad quod is a Patronis jam præſentatus, ſeu nominatus fuerit, prætextu, etiamſi Beneficium prædictum de novo ea expreſſa, adiecta lege fundatum fuiſſe, conſtiterit, ut quis immediatè poſt Clericalem characterem ſuſceptum ad illud inſtituatur.*

Secundo. *Præterea Clericum, qui legitimè jam a proprio Epiſcopo ad eamdem Clericalem Tonſuram, ſeu etiam ad Minores Ordines promovendus fuerit, non poſſe ab alio Epiſcopo ratione, ac titulo cujuſcumque Beneficii, in illius Diœceſi obtenti, ad ulteriores Ordines promoveri, niſi antè eorumdem ſuſceptionem, Teſtimoniales Litteras proprii Epiſcopi, tàm originis, quàm Domicilii, ſuper ſui natalibus, ætate, moribus & vita, ſibi concedi obtinuerit, eaſque Epiſcopo Ordinanti, in actis illius Curiæ conſervandas exhibuerit.*

Tertio. *Licet verò Clericus ratione cujusvis Beneficii, in aliena Diœceſi obtenti, ſubiici dicatur juriſdictioni illius Epiſcopi, in cujus Diœceſi Beneficium hujuſmodi ſitum eſt, eam tamen de cetero, hac in re, obſervari volu-*

*lumus regulam, ut nemo ejuſmodi ſubiectionem ad effectum ſuſcipiendi Ordines acquirere cenſeatur, niſi Beneficium prædictum ejus ſit redditus, ut ad congruam vitæ ſubſtentationem, ſive juxta taxam Synodalem, ſive ea deficiente, juxta morem Regionis pro promovendis ad Sacros Ordines, detractis oneribus, per ſe ſufficiat, illudque ab Ordinando pacificè poſſideatur, ſublata quacunque facultate ſupplendi quod defecerit fructibus ejuſdem Beneficii, cum adiectione Patrimonii, etiam pinguis, quod ipſe Ordinandus in eadem, ſeu alia quavis Diæceſi obtineret; ac Epiſcopus ſic Ordinans, tám de prædictis Teſtimonialibus litteris, quam de redditu Beneficii hujuſmodi expreſſam in conſueta collatorum Ordinum atteſtatione mentionem facere debebit.*

Plura in præinſertis verbis præſcribuntur. Primo, quod ſolus Epiſcopus proprius Clericalem Tonſuram conferre valet: nomine autem Epiſcopi proprii, in præſenti intelligitur Epiſcopus Originis, aut Domicilii promovendi, ideſt, ubi promovendus verè, naturaliter, & non ex accidenti natus eſt, aut ubi verè Domicilium obtinet, juxta ſtabilita in dicta Conſtitutione; Epiſcopos autem, cui Ordinandus, ratione dumtaxat Beneficii ſubiicitur, vo-

catur alienus, ſeu non proprius, qui nullatenus poteſt hujuſmodi ſubditum, ad Clericalem Tonſuram promovere, quamvis Beneficium pingue ſit; Unde ad Clericalem Tonſuram Epiſcopus dumtaxat originis, aut Domicilii promovere valet, niſi promovendus ſit familiaris Epiſcopi.

Secondo, quod ſicut Epiſcopus alienus, ſive Beneficii, nequit ad Clericalem Tonſuram promovere ſubditum ratione dumtaxat Beneficii, in ſua Diæceſi obtenti, ſic nequit ipſum ſubditum, jam a ſuo proprio Epiſcopo Clericali Tonſura inſignitum, ad ulteriores Ordines promovere, titulo præfati Beneficii, non obtentis Teſtimonialibus Epiſcopi, tàm originis, quàm Domicilii: Unde qui ab una Diæceſi originem trahit, & in alia Domicilium contraxit, ac Beneficium obtinet in altero Epiſcopatu, nequit in iſto promoveri, non obtentis prius Teſtimonialibus Natalium, ætatis, morum, & vitæ utriuſque Epiſcopi, Originis ſcilicet, & Domicilii, nec ſufficit ab uno dumtaxat obtinere.

Tertio, quod Beneficium in aliena Diæceſi obtentum, ſubiectionem ad effectum Suſcipiendi Ordines minimè tribuit, niſi ejuſmodi Beneficium, per ſe, & detractis oneribus, ejus ſit redditus, ut ad congruam

vitæ

vitæ ſubſtentationem ſufficiat, juxta taxam Synodalem, vel ea deficiente, juxta morem Regionis, pro promovendis ad Sacros Ordines; ideſt, quod debent redditus prædicti Beneficii eſſe in ea quantitate, ut expleant quantitatem aſſignatam in Synodalibus, pro promovendis ad Sacros Ordines: Unde Epiſcopus Beneficii, nec ad Minores Ordines poterit promovere illum, qui in ſua Diœceſi obtinet Beneficium, cujus redditus, non attingunt Synodalem taxam; quia licet hæc taxa in Synodalibus pro promovendis ad Ordines Majores, non verò ad Minores, ſtatuta ſit; præſens tamen Conſtitutio, pro omnibus tollit ſubiectionem, non attingendo redditus Synodalem taxam, ut patet ex littera: Cumque nullus Epiſcopus valeat ſibi non ſubditum promovere, inde patet, quod nec ad minores, prædictum Beneficiatum promovere valebit. Inſuper, qui prædictum Beneficium obtinuit in aliena Diœceſi, debet illud pacificè poſſidere; & ſi fructus præfati Beneficii, prædictam taxam non expleverint, nequeunt Epiſcopi ſupplere Patrimonio, quodcumque illud ſit; ſublata enim eſt eis hujuſmodi poteſtas ſupplendi quidquid defecerit fructibus Beneficii, quocumque Patrimonio.

Quarto, quod Epiſcopus, ut ſupra Ordinans, tam de prædictis Teſtimonialibus Litteris, quam de redditu Beneficii hujuſmodi, expreſſam in conſueta collatorum Ordinum atteſtatione mentionem facere debebit.

Dixi, quod Beneficium debet eſſe ejus redditus, ut ad congruam vitæ ſuſtentationem ſufficiat, juxta Taxam Synodalem, vel ea deficiente, juxta morem Regionis pro promovendis ad Sacros Ordines, quæ verba intelligenda ſunt in hoc ſenſu, nempe, quod ſi Beneficium ad reſidentiam obliget, ipſius redditus debere eſſe juxta taxam, ſeu morem illius Regionis, in qua extat, ſeu fundatum eſt Beneficium, ſi autem eſt ſimplex, obſervandam eſſe taxam, ſeu conſuetudinem Diæc. originis Beneficiati, uti declaravit *Sac. Congregatio Concilii in Alatrina 9. Julii* 1701. & in alia *Ariminen.* 10. *Januarii* 1705. ut infra cap. 15. fuſius dicetur.

Sed quamvis ſupradicta omnia ſatis manifeſta ſint, quamplurima tamen decurſu temporis emanarunt dubia, quorum præcipuis, & notabilioribus, in ſequentibus adnotationibus occurritur.

NO-

## NOTA SECUNDO.

QUi in aliena Diæceſi obtinuit Beneficium, non habens alios redditus, præter diſtributiones, poteſt ab Epiſcopo talis Beneficii ad Ordines promoveri, dummodo ipſæ diſtributiones, per ſe, vel adiunctæ redditibus Beneficii, taxam Synodalem, vel morem Regionis, ut ſupra dictum eſt, exæquent. Ita Trullench. *tom* 3. *lib.* 6. *cap. unico, dubio* 12. *n.*8. Pax Jordanus *Elucubrat. volum.* 1. *lib* 3. *tit.*6. *n.*318. & alii, & ratio, quia dicta Conſtitutio, ſolummodo expoſcit, quod Beneficium, per ſe habeat ſufficientes redditus ad congruam vitæ ſuſtentationem.

Nec obſtat, quod diſtributiones non computentur ſub nomine fructuum; nam licet non comprehendantur ſub nomine fructuum, comprehenduntur tamen ſub nomine reddituum, ut cenſuit Rota coram Coccino *Deciſ.* 144. *n.* 11. apud Barboſam *de appellat.* verb. Appellat. 231. n. 6. & Conſtitutio in præſenti caſu, redditus, & non fructus expoſcit.

## NOTA TERTIO.

QUi in aliena Diæceſi obtinuit Beneficium tenue, poteſt ab Epiſcopo

talis Beneficii, ad Ordines promoveri, ſupplendo defectum altero Beneficio in eadem Diœceſi obtento, dummodo alter Beneficium ſimplex ſit, perſonalemque reſidentiam ambo non expoſcant. Prima pars probatur, nam licet præſens Conſtitutio loquatur de Beneficio in ſingulari, & prædicta plura ſint, in Ordine tamen ad finem, à Conſtitutione intentum, pro unico, & eodem reputantur: finis enim præcipuè intentus, eſt congrua ſuſtentatio Ordinandi. Secunda pars conſtat ex Tridentino, non permittente duplex Beneficium, quando utrumque perſonalem reſidentiam exigit. Hinc non videtur improbabile, poſſe ſuppleri Beneficium tenue, pluribus aliis Beneficiis in eadem Diœceſi obtentis. De quo videndi Barboſa *in Concil. Seſſ.* 24. *cap.* 17. *de Reform. præcipue n.* 7. Lamperez *de Jure Patronatus part.* 1. *lib.* 2. *quæſt.* 7. *Art. & num.* 15.

## NOTA QUARTO.

EPiſcopi promovere poſſunt alienos ſubditos, Titulo Cappellaniæ perpetuæ, in ſuis Diœceſibus inſtitutæ, dummodo ſit ſufficientis congruæ, & concurrant reliquæ circumſtantiæ, ſupra relatæ; & ratio

tio eſt, quia Conſtitutio Innocentiana, tantùm expoſtulat in præſenti caſu, quod alienus ſubditus, in aliena Diæceſi obtineat, ac poſſideat pacificé Beneficium congruæ ſubſtentationis &c. At qui in aliena Diæceſi Cappellaniam collativam perpetuam obtinet, poſſidetque pacificè, cum prædictis circumſtantiis congruæ, &c. Beneficium obtinet, quale à Conſtitutione expoſcitur: dictæ enim Cappellaniæ rigorosè, & propriè Beneficium ſunt, ut docet Gloſ. *in Clement. ſi Beneficiorum de decimis*, *Tuſco*, *Zeballos*, *Ledeſma*, *Azor*, *Diana*, *Bonaccina*, *Trullench*, & alii relati à *Barboſa*, tùm *de poteſtate Epiſc. par. 2. allegat. 12. n. 10.* tùm *Juris univerſi, lib. 3. cap. 6. n. 20.*, & in terminis prædictæ Conſtitutionis *Lamperez* num. 381. Igitur poſſidens prædictas Cappellanias in aliena Diæceſi, Beneficium in ea poſſidet, ac proinde ab Epiſcopo talis Diæceſis promoveri poterit.

## NOTA QUINTO.

DUbium non leve eſt, an Epiſcopi promovere valeant alienos ſubditos, titulo Cappellaniæ collativæ vitalitiæ, in ſuis Diæceſibus, ſed ante reſolutionem, præmittendum eſt, quod dupliciter inſti-

tui poſſunt prædictæ Cappellaniæ, vel pro una dumtaxat vita, qua extincta, bona, ſeu fundi ad uſus ſæculares iterum redeunt, vel pro duplici, aut triplici vita, quibus expletis, fundi in uſus pios convertuntur: hujus ſecundi generis frequenter in nonnullis Hiſpaniæ Diæceſibus Beneficia inſtituuntur, vocanturque *Perſonatus*, & de his omnibus in præſenti dubitatur. An tituli ſint ſufficientes, ut Epiſcopus alienus, alienos poſſit ſubditos promovere, dummodo inſtitutæ in ſuis Diæceſibus extent, Taxam ſynodalem, moremque Regionis reſpectivè, ut ſupra dictum eſt, redditus exæquent, pacificèque, ac ſine fraude, aut dolo poſſideantur. Et ad utramque partem reſpondetur affirmativè, quia Perſonatus prædicti ſunt propriè Beneficia, ut cenſuit Rota *in una Gerunden.* 17. *Martii* 1630. & Cappellaniæ collativæ vitalitiæ, ideſt, quæ pro unica dumtaxat vita inſtituuntur, rationem Beneficii propriè participant. Cum, ut ſupponitur, ab ordinario inſtituantur, & conferantur, quamvis regulariter ad nominationem laicorum, nec obſtat, quod Beneficium non ſit perpetuum in ſe, ſufficit enim, quod ſit perpetuum in Beneficiato. ita *Bonac. de Sacram. Ordinis, diſput. 8. quæſt. unic.*

*unic. punct. 5. n. 40. Moreno. in Tract. Moral. Tit. Benef. quæſt. 1. dub. VII.*

Titulo autem Cappellaniæ Patronatus purè laicalis, non poteſt Epiſcopus, alienum ſubditum promovere, quamvis dicta Cappellania perpetua ſit, immò licet Cappellanus Ius habeat ad Eccleſiaſticas diſtributiones in aliqua Eccleſia ipſius Diæceſis, vi præfatæ Cappellaniæ. Ratio eſt, quia hujuſmodi Cappellaniæ nullatenus naturam Beneficii participant; at ſubditus alienus, Beneficio dumtaxat, & cum circumſtantiis ſæpè memoratis alieno Epiſcopo, ad effectum ſuſcipiendi ab iſto Ordines ſubiicitur; cum ergo prædictæ Cappellaniæ in ullo ſenſu Beneficium ſint, nec ſubiectionem alieno Epiſcopo, ut ab iſto promoveri poſſit, tribuent. Major conſtat, nam prædictæ Cappellaniæ, canonica carent, ut ſupponitur, inſtitutione, ſine qua implicat rationem Beneficii ſortiri, *cap.* 1. *de regul. Jur. in 6.* minor patet ex verbis præfatæ Conſtitutionis, & conſequentia infertur.

## *NOTA SEXTO.*

PLures Doctores, in ea ſunt opinione, ut Beneficium, etiam manuale, & amovibile, erectum tamen auctoritate Ordi-

dinarii, ſatis ſit ad hoc, ut Beneficiatus ſubiiciatur juriſdictioni Epiſcopi, in cujus Diæceſi illud extat, proindeque iſtiuſmodi etiam Beneficium ſufficiat quantum ad hoc, ut Epiſcopus dici poſſit, Ordines conferre non alieno, ſed proprio ſubdito, dummodo ceteroquin Ordinatio fiat ad alium titulum legitimum, quia Beneficium manuale, licet non ſit per ſe idoneum pro titulo Ordinationis, eſt tamen idoneum pro inducenda ſubiectione ad effectum ſuſcipiendi Ordines, tamquam ab Epiſcopo proprio, ut explicat Lamp. *in cap. cum nullus num. 5. de temp. Ord. in 6.* cui opinioni adheret *Sac. Congreg. Concil. in una Pientina, ſeu Ilcinen. die* 8. *Auguſti* 1733.

## NOTA SEPTIMO.

INfertur ex dictis, Epiſcopum proprium, abſolutè poſſe ſuos ſubditos promovere titulo Cappellaniæ purè laicalis, eſto hæc erecta extra Diæceſim fuerit, dummodo Cappellanus, vi talis Cappellaniæ obſtrictus non ſit indiſpenſabiliter Miſſas in Eccleſia, vel Cappella alterius Diæceſis, celebrare: cum enim titulo Cappellaniæ præfatæ promoveatur tanquam ad Titulum Patrimonii, quodque neceſitatem, aut utilitatem expoſcit, & de quibus Epiſco-

ſcopo in aliena Diæceſi, alienum eſt judicare; hinc eſt, quod ſi Cappellanus obſtrictus eſt Miſſas extra propriam Diæceſim celebrare, Epiſcopus non poterit titulo talis Cappellaniæ promovere: ſi tamen arbitrio Cappellani celebratio Miſſarum, quo ad locum, relinquatur, tunc poterit Epiſcopus proprius, conſulta tamen neceſſitate, aut utilitate Eccleſiarum ſuæ Diœceſis, ipſum promovere: ſicut enim promovere poteſt titulo Patrimonii, aut penſionis extra ſuam Diœceſim obtentę, ſic poterit titulo Cappellaniæ extra propriam Diœceſim obtentę promovere.

## *NOTA OCTAVO:*

CONtrovertitur, an *Præſtimonium* ſit titulus ſufficiens, ut poſſit illud poſſidens promoveri, tùm a proprio, tùm ab alieno Epiſcopo, ſed ante reſolutionem ſciendum, quod *Præſtimonia*, vocantur quædam fructuum partes, quæ a Beneficiis extrahuntur, & Præſtimoniario conſignantur, antiquitus inducta, ut eiſdem fructibus faverentur, qui litteris, militiæque pro Eccleſiæ defentione operam dabant, ideoque *Præſtimonium*, quaſi *præſtans* munium dicebatur, propter obſequium, quod Eccleſiæ præſtabant, qui intuitu talium

fru-

fructuum, in litteris, & militia exercebantur: De his Præſtimoniis mentionem faciunt textus *in cap. fin. de conceſſione Præbendæ in 6.* ac Trid. *Seſſ.* 14. *cap.* 9. *de Reform.* Et pro reſolutione ſupponendum eſt, quod licet quando dicta Præſtimonia inducta fuerunt, Beneficia non fuerint; fructus enim tunc non tribuebantur, intuitu officii Spiritualis, nunc tamen Beneficia propriè ſunt. Conferuntur namque in titulum, habentque officium Spirituale, annexum, quale eſt Horarum canonicarum penſum. Palao *tract.* 13. *diſput.* 1. *punct.* 7. *n.* 1. Barboſ. *Jur. univerſ. lib.* 3. *cap.* 8. *n.* 1. cum aliis Theologis, & Canoniſtis ab his citatis; eſtque ſine controverſia poſt Conſtitutionem S. Pii V. quæ incipit: *Ex proximo Lateranenſi* 20. *Septembris* 1571. in qua Beneficia vocantur, cum obligatione recitandi, ac fructus reſtituendi, qui dictam obligationem non perſolverint.

Hoc ſuppoſito; reſpondetur primo. Epiſcopum proprium promovere poſſe ſuos Subditos titulo Præſtimonii, ſive in ſua, ſive in aliena Diæceſi promovendus poſſideat, ſive ſit, ſive non Beneficium, de quo nullum eſt dubium.

Reſpondetur Secundo. Epiſcopum alienum promovere poſſe alienos Subditos titu-

tulo Præſtimonii, in ſua dumtaxat Diæceſi obtenti, dummodo congruam exæquent, ac reliquæ circumſtantiæ ſupra relatæ concurrant. Ratio eſt; quia, ut ex dictis conſtat, Præſtimonium verè, & propriè Beneficium eſt; At Beneficium cum dictis circumſtantiis, ſubiectionem ad Ordines Epiſcopo alieno tribuit, igitur poterit ab iſto promoveri, qui in ſua Diæceſi tale Præſtimonium obtinuit,

## *NOTA NONO.*

ULtra prætermoratos Titulos, plures alios, Doctores aſſignant, quibus poteſt quis ad Ordines promoveri, quales ſunt Hoſpitales, Commendæ, Coadiutoriæ, & alii videndi apud Barboſam *cit. cap.* 9. Palao *cit. punct.* 7. *& ſequent.* qui tituli ſi fuerint perpetui, ex parte ſaltem recipientis, cum congrua ſufficienti, aliiſque memoratis circumſtantiis poterunt Epiſcopi, eorum titulo ſubditos alienos promovere, dummodo in ipſorum Diæceſibus poſſideantur, quod ex dictis abunde conſtat.

Nec obſtat, quod prædicta, Beneficia non dicantur, quia, ut optimè Gonzalez *de Reg.* 8. *Gloſſ.* 5. *n.* 17. adnotavit, in Beneficio, vis non eſt in nomine, ſed in natura, ideoque minimè attendendum in præ-

di-

dictis titulis, num Beneficia, aut non, vocentur, ſed an naturam Beneficii participent: *Argument. leg. ſi uno ff. locati cap. ea quæ de Simonia.* Unde quamvis Beneficia regulariter non dicantur, ſi tamen naturam Beneficii participant, Beneficia propriè erunt. Quid autem requiratur, ut aliquid Beneficium nuncupetur, videatur Barboſa *Juris Univerſalis lib. 3. cap. 4. a n. 25.*

## *NOTA DECIMO.*

QUæres hic obiter, an Coadiutores alicujus dignitatis, vel Canonicatus, cum futura ſucceſſione, tàm in caſu, quo ipſis congrua portio, aut penſio per Coadiutum aſſignetur, ex fructibus Præbendæ ejuſdem dignitatis, vel Canonicatus, quam in caſu, quo congruam portionem ſibi aſſignatam habeant, ex propriis, vel alterius patrimonialibus bonis, donec per obitum coadiuti, fiat locus eorum Succeſſioni ad dictam dignitatem, ſeu Canonicatum, licitè poſſint ab Epiſcopo, in cujus Diæceſi ſunt tituli ejuſmodi Beneficiorum reſidentialium, ſine literis dimiſſorialibus Epiſcopi ſuæ originis, vel præcedentis Domicilii, ad Ordines promoveri. Ad quod dubium, Sacra Congregatio Concilii, in una *Tarraconen. Ordinationis*, perpenſis hinc

hinc inde, & maturè conſideratis rationibus, *ſub die prima Julii* 1741. reſpondit: *Coadiutoriam Canonicatus, vel dignitatis ſufficire, ut coadiutor dicatur habere Domicilium requiſitum in Conſtitutione Innocentii XII. incipien. Speculatores*.

Verum quum in unam, eamdemque ſententiam haud convenerint omnia Eminentiſſimorum Patrum vota, atque de re ſatis gravi, & exemplari ageretur, de interpretatione videlicet laudatę Bullę Innocentianę ad publicum Eccleſię bonum, rectamque Eccleſiaſtici Ordinis inſtitutionem editę, ideo ſub die 16. Decembris ejuſdem anni; de novo propoſita quęſtione, quęſitum fuit, *an ſit ſtandum, vel recedendum a deciſis in caſu &c.* Emanavitque reſcriptum: *Iterum proponatur*: Tandem ad formale examen revocata ſub die 18. Aprilis 1744. Eminentiſſimi Patres confirmando Superiorem ſententiam, reſponderunt in deciſis.

## NOTA UNDECIMO.

Licet Epiſcopus poſſit diſpenſare in legibus Synodalibus, a ſe, vel à ſuis anteceſſoribus factis; in caſu præſenti non poſſet diſpenſare in lege Synodali, taxativa congruę pro Ordinandis, quę eſt lex ſcri-

ſcripta, nec in non ſcripta, ſcilicet, conſuetudine regionis. Ratio eſt: non ſolùm quia eſſet in fraudem hujus legis, ſed etiam quia Summus Pontifex in pręfata Conſtitutione jubet, computum fieri juxta taxam ſynodalem, vel conſuetudinem; & ita virtualiter, & implicitè adimit Epiſcopo facultatem diſpenſandi, ſeù potiùs arbitrandi, aut faciendi ſupputationem ſuo modo, licet pro illa vice tantum.

## *NOTA DUODECIMO.*

POteſt hic dubitari: an poſſet admitti ad Ordines, qui haberet Beneficium, cujus valor taxam non quidem ęquaret, in parvo tamen deficeret, quin, nec Epiſcopus, nec Ordinandus contravenirent, ſaltem graviter, Decreto dictę Bullæ? In hac quęſtione, plures Doctores ſentiunt, dari parvitatem materię in congrua, ſicut in aliis materiis hujus generis; non enim conſiſtit in indiviſibili portio neceſſaria ad honeſtam, & decentem ſubſtentationem: & ita ſentiunt Navar. *de temp. Ordin. conſ.* 17. Sanchez *in opuſcul. moral. tom. 2. lib. 1. dub. 75. n.* 8. Difficultas autem eſſe poteſt in deſignanda tali parvitate; circa quod hęc dicit Sanchez cit: *Nota, quod ſi modicum deficit ad honeſtam ſubſtentationem, parum fa-*

*facit, quia de modico non eſt curandum.* cap. res vera de conſecrat. diſtinct. 2. leg. Scio ff. de integ. reſtit., *ſecus ſi ſit notabilis, qualis erunt quinque, reſpectu vigintiquinque.* & Marchin. *de Sacram. ord. tract.* 2. *part.* 6. *cap.* 7. *difficul.* 2. reputat parvitatem materię defectum duorum, vel trium, reſpectu triginta, & ita poterit philoſophari in majori quantitate.

Hęc dixi, non ut in praxim deducantur; cum ſtandum ſit taxę ſynodali: ſed, ut ſciatur quoad uſque extenduntur Auctores.

Et ſuppoſito, quod detur parvitas materię, ſequitur etiam, quod non incurreret pœnas dictę Bullę, qui ad titulum Beneficii, cujus redditus, in pauco a quantitate congruæ taxata deficerent, ad Ordines, ſive majores, ſive minores promoveretur; dum enim culpa gravis non eſt, nec pœna gravis contrahitur.

## *NOTA DECIMOTERTIO.*

IN Conſtitutione Innocentiana ſtatuitur, quod Beneficium, non ſolùm debeat eſſe ſufficiens ad congruam ſuſtentationem, ſed etiam quod pacificè poſſideatur ab ordinando, ex quo infertur. Primo, quod non ſufficit ſola collatio, aut titulus

Beneficii, ſed debet jam eſſe capta poſſeſſio, quietè, & pacificè, ut etiam jubetur a Trident. *Seſſ.* 22. *cap.* 2. Quis autem dicatur pacificus poſſeſſor, & quodnam ſit Beneficium litigioſum docet Barboſ. cum aliis *de poteſt. Epiſc. num.* 2. *alleg.* 19. *a num.* 15. Secundo infertur, quod quandocumque eſt in pacifica poſſeſſione Beneficii, cujus redditus ſufficiant ad victum, juxta taxam ſynodalem, aut conſuetudinem regionis, poterit ab Epiſcopo Beneficii ad Ordines promoveri, etiam ſtatim poſt ſumptam poſſeſſionem, imò etiam ſi Beneficium datum eſſet ea intentione, ut proviſus, ſubditus ejus fieret, quo ad effectum ſuſcipiendi Ordines. Hugolinus *de poteſt. Epiſc. cap.* 29. §. 3.

## *NOTA DECIMOQUARTO.*

DEnique adverto, in dicta Bulla præcipi, quod Epiſcopus ſic ordinans, hoc eſt ad titulum Beneficii, cum qualitatibus prædictis, eum, qui aliter ſubditus ejus non eſſet, expreſſam mentionem faciat in conſueto collatorum Ordinum teſtimonio, quod *Fides Ordinum* communiter appellatur, non ſolùm litterarum teſtimonialium, ſed etiam redditus Beneficii, ratione cujus, ſeu ad cujus titulum ad

Or-

Ordines promovit; ut omnibus conſtet ſua decretorum hujuſmodi obſervantia. Undè obiter mihi videtur advertendum, quod ſi huic ſubdito ratione Beneficii vellet Epiſcopus Dimiſſorias concedere, deberet in eis expreſſam mentionem facere eodem modo de litteris teſtimonialibus, ac redditu, ut nullus ambigeret, ſe juſtè, & legitimè, ad præſcriptum Bullæ concedere,

## *NOTA DECIMOQUINTO.*

Vicarius Capitularis, Sede Epiſcopali vacante, poteſt concedere literas Teſtimoniales ad præſcriptum Bullæ Innocentianæ, etiam intra annum, etiam his, quibus Dimiſſorias dare non poteſt, ut notat Marchin. de Sacram. Ord. diſp. 8. q. unic., part. 6. cap. 3. n. 18. & Lamperez in Explic. Bull, Innoc. part. 39. n. 344.

# CAPUT NONUM

## Pro Exteris, qui ratione Domicilii in Urbe contracti, abſque Dimiſſoriis proprii Ordinarii, promoveri cupiunt, requiruntur.

I. EXAMEN per Teſtes, vel Parochi Teſtimonium, ſive aliud legitimum Documentum, quo conſtet, Ordinandum, ſtabiliter conſtituiſſe Domicilium in Vrbe, *Conſtitutio Innocentii XII.*

II. *JURAMEMTUM* Ordinandi, quo affirmet, ſe verè, & realiter habere animum permanendi in Urbe. *Dicta Conſtitutio.*

III. LIT-

III. *LITTERÆ TESTIMONIALES* Epiſcopi originis, ſuper ſuis natalibus, ætate, moribus, & vita, ſi ordinandus a propriæ originis loco, in ea ætate diſceſſerit, qua potuerit alicui canonico impedimento obnoxius effici; Si autem diſceſſerit in tali ætate, in qua nullum canonicum impedimentum contrahere poterat, exhibere debebit Teſtimoniales Epiſcopi originis de natalibus ſolùm, ac de ætate, ut colligitur ex reſolutione edita in *Laquedonien.*, *ſeu Bituntina Ordinationis* 16. *Novembris* 1709. & in *Pientina*, *ſeu Ilcinen. Ordinationis* 8. *Auguſti* 1733. & ratio, quia ad fraudes evitandas, non ſufficit de his quævis certitudo, ex teſtimonio cujuſcumque alterius, qui non eſſet Epiſcopus originis.

IV. *PROPRII PAROCHI FIDES*, de vita, & moribus &c.

V. *EXAMEN, ET APPROBATIO &c.*

VI. *EXERCITIA SPIRITUALIA*, ac Convictus in Domo Miſſionis, aliaque requiſita, juxta Ordines, ut in Superioribus Capitibus.

## ADNOTATIONES.

### *NOTA PRIMO.*

Domicilium duplex eſt, Originis ſcilicet, & habitationis. Domicilium Originis ortu naturali acquiritur, de quo in adnotationibus primi cap. ſatis egimus; nunc autem de Domicilio habitationis ſermo eſt; ſed quia iſtud, præmemoratæ Innocentianæ Conſtitutionis Decreto, non ſine pluribus conditionibus acquiritur, operepretium eſt, diſpoſitionem ejuſdem Conſtitutionis præſentem habere, quæ ſic intonat.

*Subditus autem ratione Domicilii, ad effectum ſuſcipiendi Ordines, is dumtaxat cenſeatur, qui licet alibi natus fuerit, illud tamen, adeo ſtabiliter conſtituerit in aliquo loco, ut vel per decennium ſaltem in eo habitan-*

*tando, vel majorem rerum, ac bonorum ſuorum partem, cum inſtructis ædibus in locum hujuſmodi transferendo; ibique inſuper per aliquod conſiderabile tempus commorando, ſatis ſuperque ſuum perpetuò ibidem permanendi animum demonſtraverit, & nihilominus ulterius in utroque caſu, ſe verè & realiter animum hujuſmodi habere, jurejurando affirmet.*

*Si quis autem à propriæ Originis loco, in ea ætate diſceſſerit, qua potuerit alicui canonico impedimento obnoxius effici, etiam ab Ordinario ſuæ Originis, Teſtimoniales litteras, ut ſupra, afferre debebit, ac de illis, expreſſa ſimiliter mentio in ſuſceptorum Ordinum litteris, facienda erit.*

Ad perfectam intelligentiam præſcriptarum particularum præſentis Conſtitutionis, ſciendum eſt primo. Quod ut Domicilium in aliquo loco acquiratur, indiſpenſabilis eſt animus, perpetuò habitandi in eo, ita ut eo animo exiſtente; & in ipſo loco morando, domicilium acquiratur, ut cum multis firmat P. Gobat. *Trac.8. caſ.7. a n. 191.* Verùm quia dictus animus actus eſt internus, ſignis eget externis, ut de illo Eccleſia certior fiat, ita ut his deficientibus, licet in foro conſcientiæ Domicilium contrahatur, pro ſuſcipiendis autem ordini-

bus, titulo Domicilii, minimè iſtud contractum eſt.

Sciendum Secundo. Inter perſonas, quæ contrahere Domicilium valent, aliæ ſunt ita pauperes, ut nihil bonorum mobilium, immobiliumve poſſideant, ex quo, cum Domicilium trànsferunt, perſonæ ſolum tranſigunt, aliæ autem bona poſſident, quæ etiam, dum Domicilium mutant, ad locum novi Domicilii, cum ſuis perſonis transferunt, quibus ſuppoſitis.

Patet jam ſenſus prædictorum Conſtitutionis verborum; diſponitur namque, quod quando quis Domicilium in aliena Diæceſi conſtituere parat, ut ad Ordines cenſeatur Domicilium contraxiſſe, vel debet in ipſo loco per decennium commorare, hocque, ſive ſit perſona pauper, ſive non, unde, & ſi bona quamplurima poſſideat, ſi tamen ſecum ad locum novi Domicili transferre noluerit, dummodo animum perpetuò habitandi ibidem habeat, per decenniumque commoretur, Domicilium ad Ordines ibi contraxit; Diſpoſitio enim eſt diſiunctiva, optionemque ad alterutram partem relinquit, ergo quamlibet eligat, Domicilium ad Ordines contraxiſſe cenſendum eſt, addito tamen Juramento.

Si tamen majorem partem ſuorum bonorum,

rum, rerumque ad novum Domicilium transferat, non eget per decennium inibi commorare, ſufficit enim, ſi aliquo tempore conſiderabili commoretur, ædes inſtruat, ac animum perpetuò ibidem permanendi habere, jurejurando affirmet. Verùm ſi nulla bona, vel admodum pauciſſima poſſideat, dummodo Domum ſibi conſtituat ad habitandum, verius cenſent aliqui, quod non egebit per decennium ibi habitare, ſed ſufficit per conſiderabile tempus, ut addita circumſtantia Juramenti, ad Ordines Domicilium contraxiſſe inibi cenſeatur. At quia de Domicilio habitationis, de,quo loquitur Conſtitutio, variç difficultates ſe offerunt, ſequentibus adnotationibus ſolvuntur.

## NOTA SECUNDO.

SI Petrus in aliena Diœc: ſedem Domicilii firmat, ipſumque ſequitur filius, nondum Emancipatus, iſte filius, ab Epiſcopo prædictæ Diæceſis, ubi Pater Domicilium contraxit, titulo Domicilii poterit ad Ordines promoveri, quin filius expleat conditiones Innocentianæ Conſtitutionis, ſupra memoratas, dummodo Pater eas in loco novi Domicilii expleverit. Quare filius, in caſu præſenti, ut titulo

Do-

Domicilii inibi promoveatur, non eget ſeparari a Patre, domumque ſeparatam inſtruere, ſed ſufficit, quod Pater in eo loco commoretur, cum animo perpetuò ibidem permanendi, majorem partem rerum, ac bonorum ſ..orum ad dictum locum, ædes inſtruendo, transferat, in eoque per aliquod conſiderabile tempus commoretur, ac tandem quod animum habeat perpetuò ibi commorandi, juramento affirmet. Ita Moreno *in Trac. Moral. Tit. Domic. quæſt. 3. dub. 2.*

## NOTA TERTIO.

Licitè poteſt quis Domicilium mutare eo principaliter fine, ut ab Epiſcopo novi Domicilii promoveatur ad Ordines, quos Epiſcopus Originis juſtè, vel injuſtè denegavit; utitur enim jure ſuo, & quia, ut in caſu ſupponitur, omnia requiſita ad obtinendum Domicilium implet, & ita dicendum de illo, qui ob dictum finem, Beneficium in aliena Diæceſis quærit.

## NOTA QUARTO.

INter reliquas conditiones, quas dicta Conſtitutio, verbis ſupra relatis, expoſcit, altera eſt, quod, ut quis Domicilium

lium in aliqua Diæceſi acquirat, commorare debet in ipſa per aliquod conſiderabile tempus; quantum autem temporis commorari oporteat, ut per conſiderabile tempus commoraſſe dicatur, non conveniunt inter ſe auctores. Moren. *loco cit. n.* 218. putat, non eſſe improbabile, quod etiam curſus unius anni, plus, minuſve, ſit in noſtro caſu tempus conſiderabile; ſed quamvis determinare quando ſit, vel non tempus conſiderabile decurſum, pertineat ad Epiſcopum illius Civitatis, vel oppidi, in quibus, qui noviter Domicilium ad Ordines contrahere parat, moretur, certum tamen eſt, curſum triennii completi eſſe tempus conſiderabile, quod expoſcitur in Conſtitutione: Unde qui animo Domicilium contrahendi in aliquo oppido, ad iſtud ſe conferret, cum majori parte ſuorum bonorum, rerumque, ædes inſtrueret, per trienniumque completum moraretur, conſiderabile tempus expleret, poſſetque ab ejus Epiſcopo ad Ordines promoveri: Si enim Tridentinum facultatem concedit Epiſcopo, ut familiarem ſuum alienæ Diæceſeos ſubditum, quemque per triennium integrum ſecum in ſuo ſervitio retinuit, promovere ad Ordines valet, cur non idem dicendum in noſtro caſu: Ete-

Etenim ſi curſus triennii completi, ex mente Tridentini, ſufficit ad inducendum titulum familiaritatis, quo familiaris promoveri poſſit, cur curſus triennii completi non inducet tempus conſiderabile, quo quis ad Ordines promoveri valeat?

At quæres, an ſufficiat tempus triennii diſtribuiſſe in diverſis Oppidis ejuſdem Diæceſis: citatus Moren. Tit. Domic. quæſt. 3. dub. V. n. 221. reſpondet affirmativè, ea innixus ratione, quia per verba illa *in aliquo loco*, intelligatur tota Diæceſis, ſed ut verum fatear, huic opinioni intellectus meus non benè acquieſcit; quia per talem temporis diſtributionem, ſatis inconſtantiam, & indeterminationem ſui animi oſtenderet promovendus.

## NOTA QUINTO.

An autem, attenta dicta Conſtitutione, duo Domicilia ſimultanea componi poſſint in diverſis Diæceſibus, quo ad effectum Ordines ſuſcipiendi titulo Domicilii, itaut ſicut ad alios effectus, & ad receptionem aliorum Sacramentorum, communiter Doctores, duo Domicilia ſimul admittunt, ſic etiam poſſit Titius duo Domicilia ſimul in duplici Diæceſi contrahere, & a quocumque eorum, quem malue-

luerit Prælato, ad Ordines promoveri. Negativa Sententia firmiter tenenda eſt; nam in terminis ejuſdem Conſtitutionis, ut quis Domicilium, ad effectum ſuſcipiendi Ordines in aliquo loco acquirat, debet, vel per decennium in eo loco habitare, vel ſaltem majorem partem ſuorum bonorum, rerumque, cum inſtructis ædibus ad ipſum transferre, at neutram ex his conditionibus ſimul in duplici Diæceſi implere poterit. Minor quo ad primam partem probatur: Ut enim infra dicetur, decennium, ut quis ſubditus fiat Domicilii ad Ordines, debet eſſe completum, ac continuum, non cum intercadentiis: cum ergo habitando partim in una Diæceſi, partim in alia, in neutra ſit decennium continuum, neque in aliqua decennium hac via implebit: ergo nec Domicilium in utraque ſimul componet. Quoad ſecundam partem pariter probatur: nam ut Domicilium prædictum, per ſecundam viam a dicta Conſtitutione aſſignatam, acquirat, neceſsè eſt, quod majorem partem rerum, ac bonorum in hujuſmodi locum transferat; at inpoſſibile eſt, quod ſimul in duplici Diæceſi majorem partem ſuarum rerum poſſideat; ſi enim in una, majorem poſſideat, in altera neceſsè eſt minorem poſſidere. Quod ſi

ejus

ejus bona, in utràque Diæceſi æquè dividat, præterquamquod hoc impoſſibile, moraliter apparet, in neutra Diæceſi Domicilium ad Ordines acquiret, cum in neutra majorem partem ſuorum bonorum poſſideret.

## *NOTA SEXTO.*

NOmine bonorum transferendorum ad locum Domicilii, ut Domicilium acquiſitum eſſe cenſeatur, veniunt bona mobilia, nec opus eſt immobilia transferre, ſufficit enim, ſi iſta in redditibus transferat, hoc eſt, quod redditus, quos in alia Diæceſi percipit, in ea, in qua Domicilium elegit impendat, tùm quia bona immobilia facilè transferri nequeunt, ſine magno diſpendio, & leges poſitivæ, cum diſpendio maximo obligare non intendunt: tùm quia fructus, ſeu redditus tranſferendo, & bona immobilia transferuntur, nomine enim bonorum venit uſufructus, ita cum aliis Moren. *cit. dub. VII. n.* 230. qui etiam cenſet inter bona, quæ in noſtro caſu eligens Domicilium, ad iſtud transferre tenetur, minimè computanda bona Uxoris, aut filiorum, eſto ad Maritum, aut Patrem, jure legis, adminiſtratio pertineat.

NO-

NOTA SEPTIMO.

QUi Domicilium ad Ordines in aliqua Diæceſi contrahere intendit, inter alias conditiones, ut ſupra dictum eſt, tenetur Juramento firmare, ſe verè & realiter animum inibi perpetuò permanendi habere; quod ſi promovendus, ſit in minori ætate, aut ſub poteſtate Patris, Juramentum Præſtandum eſt a Patre, ut doctè reſolvit cit. Moren. *Dub. 2. per totum quæſt.* 3. Hinc oritur Dubium, an falſum jurando ſatisfaciat, hoc eſt jurando, ſe verè, & realiter hujuſmodi animum habere, cum reverà talem animum non habeat; ſed ante ſolutionem, advertendum eſt, quod in triplici ſenſu exagitari poteſt præſens difficultas. Primo. Cum Titius V. G. habitationem mutavit ad aliquam Diæceſim, ſine animo tamen in ea perpetuò permanendi, ac dictum animum non habendo, jurejurando affirmat, ſe illum habere. Secundo. Cum tempore, quo habitationem mutavit, verum animum inibi perpetuò commorandi habuit, tempore autem, quo jurat, animum predictum retractavit, juratque ſe habere, cum revera non habeat. Tertio ſi verum animum habens, juramentum præſtitit, ac poſtea, vel

ante

ante primi Ordinis ſuſceptionem, vel primo ſuſcepto, ante ſecundum, animum retractavit: In his ergo, & ſimilibus caſibus quæritur, an falſum jurando ſatisfaciat Titius diſpoſitioni Innocentianæ Conſtitutionis, licitèque ad Ordines promoveri valeat, titulo Domicilii.

Ad primum ergo dubii ſenſum reſpondetur. Qui ſine vero animo permanendi perpetuò in aliquo loco, ad iſtum habitationem mutat, juratque, ſe prædictum animum verè, & realiter habere, cum realiter, & verè non habeat, ſic perjurando, non ſolùm graviſſimè peccat, ſed nec Domicilium in eo loco ad Ordines acquirit, ſicque in noſtro caſu, Juramento falſo, non ſatisfaciet diſpoſitioni conſtitutionis: omnes enim, ac ſingulas circumſtantias, ſeu Conditiones, quas pro Domicilio acquirendo exigit Conſtitutio, tamquam formam exigit; & cum leges, aliqua tamquam formam exigunt, qualibet deficiente, actus nullus eſt, ut communiter in tractatu de Legibus docent Doctores: Ergo cum præſens Conſtitutio exigat Juramentum de vero, & reali animo, huncque Titius non habeat, non præſtat Juramentum in noſtro caſu a lege intentum, ac conſequenter eò Domicilium non acquiret,

Cir-

Circa ſecundum ſenſum difficultatis, negativa pariter ſententia tenenda eſt: ſatis enim apertè Conſtitutio expoſcit, quod quando Juramentum præſtatur a Titio in noſtro caſu; debet Titius habere animum (& non tantùm jurare ſe habere) inibi perpetuò permanendi; intentum enim S. M. Innocentii XII. eſt: Juramento animum firmare ad fraudes vitandas: ergo non potuit de ejus mente eſſe, quod Juramentum ſepararetur ab animo vero, non enim tunc animum firmaret.

Ad Tertium ſenſum dicendum, eum, qui ad aliam Diæceſim, animo in ea perpetuò commorandi, habitationem mutavit, ac in eo animo perſeverando, juramentum præſtitit, cepitque promoveri, licet poſtea animum mutet, continuare in ſuſcipiendo ulteriores Ordines valet, etiam ſi de novo Juramentum ab eo exigatur, falsòque juret. Probatur prima pars; nam ſemel expletis conditionibus, quas Conſtitutio pro acquirendo Domicilio ad Ordines expoſcit, Domicilium eo ipſo ad hunc effectum acquiritur: at Domicilium, quod ſemel in uno loco acquiritur, ſola animi mutatione non perditur: ergo licet in noſtro caſu Titius animum mutet, ſicut Domicilum non deperdit, ſic nec perdit jus

ad ulteriores Ordines ſuſcipiendos. Secunda pars probatur, quia ſufficit ſemel ante ſuſceptionem primi Ordinis jurare, nec requiritur, ante ſuſceptionem ſingulorum Juramentum repetere: ergo ſecundum Juramentum, cum citra legem ſit, ſive verum, ſive falſum ſit, actum non vitiabit: ergo & pœnas Conſtitutionis in præſenti caſu Titius evadet.

## *NOTA OCTAVO.*

Licitè jurat, qui reſtrictione, ſcilicet, quod in eo loco permanebit, quouſque alius commodior non ſe offerat, jurat; & ratio eſt, quia leges, quando animum perpetuò habitandi in loco, ad Domicilium inibi contrahendum expoſcunt, non excludunt has, & ſimiles moderationes, ſcilicet, dum alia commodior, vel ſanior non ſe offerat habitatio, & colligitur *ex Textu in leg. Cives cod. de Incolis. lib:* 10. Quis enim dicet, hanc reſtrictionem, *niſi ſanitati officiet*; deſtruere perpetuitatem animi permanendi in aliquò loco: ergo nec hæc alia, dummodo alia Commodior occupatio non ſe offerat, & ita Docent Riccius *in Praxi Fori Eccleſiaſt. reſolut.* 263. Layman *in ſumma lib.* 5. *tract.* 9. *cap.* 9. *in fine*, & alii quamplurimi,

mi, quos citat, & ſequitur Moren. cit. *Tit. Domic. quæſt. 3. dub. XI.*

## NOTA NONO.

PRo Domicilio ad Ordines acquirendo, ſufficit, animum in eo loco perpetuò permanendi, pro tempore Juramenti habere, licet pro antecedenti non habuerit: nam ſi Titius circa finem decennii, vel eo peracto voluntatem mutaverit, decernatque in eo loco perpetuò permanere, illa animi poſterior mutatio, ad tempus antecedens retrotrahitur, pro Domicilio ad Ordines acquirendo, ejuſque fraudes purgabit. Idem, ac potiori jure dicendum, caſu quo idem Titius in eo loco habitationem, animo inibi perpetuò commorandi, inciperet, poſta tamen animum mutaret, ac tandem ante Juramentum, novum animum de inibi perpetuò permanendi iterum conciperet, tùm ex immediatè dictis, tùm quia Domicilium ſemel acquiſitum, ſola animi mutatione non deperditur.

Doctrina hæc militat, & intelligenda venit, quando ex circumſtantiis apparet, ſe in eo loco animum contrahendi Domicilium habere, vel ſaltem non eſt fundamentum ad contrarium præſumendum; ſecus ſi contrarium manifeſtè appareat: un-

de Scholares, quando ſtudiorum cauſa, ad alienam Diæceſim ſe transferunt: licet per decennium inibi inhabitent, Domicilium non acquirunt, nec ſi poſt decennium decurſum, animum mutent, decurſum decennium ipſis proficiet, quia præſumptionem Juris contra ſe habent, niſi tamen animum explicent, velle ſe in eo loco perpetuò commorare, ac Domum, vel alia bona immobilia inibi comparent, quæque dictum animum manifeſtent. Ex quibus infertur, quod quando quis ad alienam Diœceſim venit, etiam ſi cum tota ſua ſubſtantia veniat, in eaque per mille annos commoretur, prius tamen declaravit contrahere non intendere Domicilium, nullatenus inibi contrahet.

An autem decennium, quod in dicta Conſtitutione præſcribitur debeat eſſe completum, & continuum, reſpondetur brevitur, debere primo eſſe completum, ſic enim indicant ea verba *vel per decennium ſaltem in eo habitando &c.* hoc eſt quod per decennium ad minus debet in eo loco habitari. Debet etiam eſſe continuum, quia cum decennium ſtatutum ſit ad manifeſtandum animum inibi perpetuò permanendi, & interruptiones prædictum animum non manifeſtent, immò contra-

rium

rium deferant, hinc eſt, quod decennium continuum eſſe debet; ſed advertendum, quod interruptiones dictæ intelligendæ ſunt, dum intra decennium, jam in una Diæceſi, jam in alia Domicilium contrahitur; ſi enim ſemel Domicilio contracto in una Diæceſi, ad aliam ſe divertat animo redeundi ad primam, tunc, & ſi per aliquod tempus ab iſta abſit, non officit, quominus in ea Domicilium ad Ordines, aliis circumſtantiis expletis, contrahat.

## *NOTA DECIMO.*

IN duplicici caſu, juxta diſpoſitionem dictæ Conſtitutionis tenetur Ordinandus Litteras Teſtimoniales Epiſcopo ordinanti præſentare. Primus eſt, cum Ordinandus natus eſt ex accidenti in aliquo loco, in eoque detinetur uſque ad eam ætatem, qua potuerit canonico aliquo impedimento ligari. Secundus cum à loco propriæ Orignis, ad alium, ut in iſto Domicilium contrhat, diſcedit: cum autem conſtitutio ætatem petat, nec eam determinet, dubium manifeſtè emergit, quænam ætas in ordinando requiratur, ut dictis Teſtimonialibus egeat, ad cujus ſolutionem, dico; quod expletis Infantiæ annis, qui completo ſeptennio explentur, ut colligi-

tur ex Gloſ. *cap. cum nullus de temporibus Ordinat. in 6.* tenetur Ordinandus, qui a prædictis locis diſceſſit, ab Eorum Ordinariis prædictas Litteras Teſtimoniales reſpectivè obtinere, ac Epiſcopo Ordinanti præſentare, & ratio, quia Pueri, completa infantia, ſunt doli capaces, ac omnes; & ſingulas cenſuras, tàm a Jure, quàm ab homine incurrere poſſunt, ut eſt Canoniſtarum communior Mens, ſicut & Theologorum, cum Suario citato a P. Dicaſtillo *diſp.* 1. *n.* 232. Immò Navarr. *Conſil.* 27. *n.* 230. addit, quod Irregularitas incurritur a pueris ante Septennium, ſi in ipſis malitia ſuppleat ætatem.

## *NOTA VNDECIMO.*

COmmuniter Doctores fundati in pluries citato cap. *cum nullus.* docent, quod ſicut poteſt quis plures diverſos titulos, veluti originis, Domicilii, & Beneficii in diſtinctis Diæceſibus habere, ita & à diverſis Prælatis Ordines valet recipere, & ſi plura in diſtintis Diæceſibus Beneficia obtineret, a Singulis Prælatis Diæceſum, ubi Beneficia ſita ſunt, poſſet Ordinari.

Hinc inter ipſos mota eſt quæſtio, an talis poſſet in Ordinatione Prælatos variare,

re, hoc eſt, unum Ordinem ab uno Prælato accipere, & alterum ab alio: Huic dubitationi reſpondent aliqui, poſſe variare. Et pro hac ſententia eſt Diana *Tom.* 2. Coord. *trac.* 5. *reſol.* 35. Dicaſtillo *tract.* 7. *diſp.* 1. *num.* 130. Averſa *q.* 3. *ſect.* 4. & alii quamplurimi.

Fundamentum hujus opinionis eſt, tùm quia, & ſi hunc Epiſcopum modò elegerit, non ideo deſinit eſſe Subditus a jure aliorum: Ergo dum variat, utitur jure ſuo, conſequenterque nemini facit injuriam; tùm, quia per primam electionem non abdicavit a ſe jus eligendi, quod habebat.

Hoc tamen non obſtante, Molfeſius cum aliis *in Sum. tom.* 1. *par.* 2. *cap.* 2. *num.* 10. *inquit: eſt notandum, quod ſi ſubditus aliquo ex prædictis modis* (ideſt Originis, Domicilii, Beneficii, ſeu triennalis Epiſcopi familiaritatis) *ſemèl elegiſſet unum Epiſcopum, a quo aliquem ordinem ſuſcepiſſet, non poſſe variare, & aſſumere alios Ordines ab alio, ex dictis Epiſcopis, niſi Epiſcopus, qui priùs illum ordinavit, judicaſſet ceſſare cauſam Ordinationis, & remittere ordinatum ad alios ex dictis Epiſcopis*, & hanc opinionem ſequitur Barboſa *de offic. & poteſt. Epiſc. alleg.* 4. *num.* 1. Bonaccina *de Sac. Ordin. diſp.* 8. *q. unic. punct.* 4. *n.* 20.

Fundamentum præcipuum hujus ſententiæ eſt Decretum Trident. *Seſſ. 23. de Reform. cap. 16.* quod ſic ſe habet. *Cum nullus debeat ordinari, qui judicio ſui Epiſcopi non ſit utilis, aut neceſſarius ſuis Eccleſiis, Sancta Synodus veſtigiis Sextæ Synodi Chalcedonenſis inhærendo, ſtatuit, ut nullus in poſterum ordinetur, qui illi Eccleſiæ, aut pio loco, pro cujus neceſſitate, aut utilitate aſſumitur, non adſcribatur, ubi ſuis fungatur muneribus, nec incertis vagetur ſedibus. Quod ſi locum, inconſulto Epiſcopo, deſerverit, ei Sacrorum exercitium interdicatur. Nullus præterea Clericus peregrinus ſine commendatitiis ſui Ordinarii litteris ab ullo Epiſcopo, ad divina celebranda, aut Sacramenta adminiſtranda admittatur.*

Unde ex hac ſecunda ſententia infertur, quod ille, qui in una Diæceſi, ratione originis, & Domicilii, ad primam Tonſuram, ſeu Minores Ordines promotus eſt, nequit ad alium Epiſcopum pro Subdiaconatu, adhuc ad titulum Beneficii in illius Diæceſi obtenti, recurrere, niſi licentiam a proprio Epiſcopo obtinuerit. Ratio eſt, nam, vel Clericus recurrit cum animo primam Eccleſiam deſerendi, vel non; ſi primum; indiget licentia, quia nequit eam, inconſulto Epiſcopo, deſerere ſub ſuſpenſio-

ſionis pœna, nec in alia Eccleſia, ſine commendatitiis ſui Ordinarii litteris, admitti. Si dicatur ſecundum: non ſpectat ad extraneum Epiſcopum, de neceſſitate, aut utilitate ad Superiorem gradum promovendi Clericum, qui in ſua Diæceſi permanſurus non eſt, judicare; & ita ſine conſenſu primi Epiſcopi, qui Ordinationem incepit, numquam poterit ad Superiorem gradum aſcendere.

Et hinc patet ſolutio fundamenti primæ opinionis, quia licet ille, qui plures habet titulos, plura etiam habeat jura, & quilibet poſſit jure ſuo uti; cæterum id intelligitur, quando tituli, & jura expedita ſunt, & in nullius vergit præjudicium alterius uſus: in noſtro autem caſu, qui originem, Domicilium, & Beneficia in diſtinctis Diæceſibus obtinet, licet eo ipſo diverſos titulos, & jura aſſequatur; attamen, ſemel electo uno Prælato, ut ab eo Ordines accipiat, non poteſt pro libito variare; quia quamvis non ideò reliquos titulos, & jura amittat, attamen manet impeditus, ne eis uti valeat, ſine licentia primi Epiſcopi, cujus Eccleſiæ adſcriptus fuit, & pro cujus neceſſitate, aut utilitate ad Ordines aſſumptus eſt, juxta præſcriptum Tridentini *Seſſ. 23. cap. 16.*

In

In hac difficultate videtur mihi innegabile, eum qui prima Tonſura, vel Ordinibus minoribus eſt initiatus per aliquem Epiſcopum, poſſe variare, & per alium ad Superiorem gradum promoveri. Ratio eſt manifeſta; nam ſtabilitum eſt in antecedentibus, quod tituli communes ad ſubiiciendum ſe alicui Epiſcopo,ad effectum ſuſcipiendi Ordines ab eo, ſunt tres; atqui pro prima Tonſura initiandis solùm ſunt duo, ſcilicet originis, & Domicilii: Ergo ut detur locus tertio, videlicet Beneficii, præcisè dicendum eſt, quod poteſt variatio fieri, id eſt, quod poteſt Petrus V. G. ad Titulum Beneficii aliquo gradu inſigniri ab Epiſcopo diſtincto ab eo, qui eum prima Tonſura initiavit.

Inſuper non deſunt auctores, aſſerentes, in dictis Teſtimonialibus contineri virtualem conſenſum, ut Clericus deſerat primam Eccleſiam, cui adſcriptus erat, & ad aliam adeat, non obſtante jure acquiſito ab Epiſcopo, cui cedit. quo caſu videtur inutilis ſupradicta Quęſtio.

CA-

# CAPUT DECIMUM.

## Pro Ultramontanis, tàm ad primam Tonſuram, quàm ad omnes Minores, & Sacros Ordines promovendis Requiſita.

I. D*IMISSORIALES* ſuorum Ordinariorum Litteræ, a Nuntiis Sanctæ Sedis, ſeu Collectoribus in illis partibus, recognitæ, probatæ, & ſubſcriptæ.

II. *EORUMDEM NUNTIORUM SUBSCRIPTIONES*, ab Emo in Alma Urbe Vicario in Spiritualibus Generali, examinatæ, recognitæ, & approbatæ. vigore Conſtitutionis S. M. Urbani VIII, quæ incipit *Secretis*.

Præ-

Praxis eſt, quod a duobus ſaltem Teſtibus fide dignis, recognoſcantur in Secretaria Tribunalis.

III. *PAROCHI FIDES*, de vita, Moribus. &c. ut in præcedenti Cap.

IV. *EXAMEN*, & approbatio &c. ut in eodem Cap.

V. *EXERCITIA SPIRITUALIA*, & Publicationes, ſi ordinentur in Sacris, aliaque requiſita, juxta Ordines ſuſcipiendos, ut in præcedentibus Capitibus.

## ADNOTATIONES.

### *NOTA PRIMO.*

AD fraudes compeſcendas Ultramontanorum, qui fictas Dimiſſorias, a longinquis eorum regionibus, ad Epiſcopos Italos deferentes, hos fallebant, de anno 1624. promulgata fuit die 11. Decembris per Urbanum Octavum Conſtitutio, quæ incipit *Secretis* 33. *tom.* 4. *Bullarii*, qua injunctum extitit, ut non ordinentur Ultra-

tramontani ab Epiſcopis Italiæ, nedum ad Sacros Ordines, ſed neque ad Minores, aut Clericalem Tonſuram, niſi Dimiſſoriæ requiſitæ propriorum Ordinariorum, per Nuntios Apoſtolicos, ſeu Collectores earum regionum, ac per Vicarium Urbis approbatæ non fuerint, ſub pœna Ordinantibus ſuſpenſionis per annum a Pontificalibus, & perpetuæ ſuſpenſionis quo ad Ordinatos.

## *NOTA SECUNDO.*

QUia verò ab Ultramontanis Epiſcopis, ob diſtantiam Nuntiorum, a ſuis Diæceſibus, ut plurimum Dimiſſoriales præfatæ, in Italiam tranſmittuntur abſque eorumdem Nuntiorum ſubſcriptione, & approbatione, propter quod executioni demandari non poſſunt, ideo promovendi, quibus conceſſæ ſunt, ad Summum Pontificem recurſum habent, pro diſpenſatione ab hujuſmodi recognitione; & quia ipſorum preces, arbitrio prememorati Vicarii regulariter remittuntur, Eñia ſua ut plurimum diſpenſat, ut loco dictæ recognitionis, & approbationis Nuntiorum, a Teſtibus Nationalibus fide dignis, in Secretaria Tribunalis recognoſcantur;

qui

qui Teſtes, iiſdem Dimiſſorialibus prius inſpectis, ac maturè conſideratis, teſtari bebent, medio eorum Juramento, earumdem ſubſcriptionem, & Sigillum eſſe Epiſcopi, eas Dimiſſoriales concedentis, & ne etiam in hoc fraus, aut dolus interveniat, non quicumque Teſtes admittuntur, ſed Sacerdotes dumtaxat, vel ſaltem Clerici in Sacris conſtituti, ejuſdemque Epiſcopi negotia in Urbe agens; Quibus deficientibus, alii Teſtes adhibentur, de quibus nulla ſit ſuſpicio falſitatis, dicendæ, quique cauſam ſcientiæ reddere valeant.

## *NOTA TERTIO.*

INfertur ex dictis. Primo, Dimiſſoriales prædictas, quamvis a Nuntiis Apoſtolicis recognitas, adhuc admitti, & executioni demandari non poſſe ab Epiſcopis Italię, niſi prius eorumdem Nuntiorum Subſcriptiones, ab eodem Vicario Urbis examinatæ, recognitæ, & approbatæ fuerint.

Infertur ſecundo, quod cum dicta Conſtitutio exprimat ſolummodo Hiſpanos, Luſitanos; Gallos, vel Germanos, alioſque quoſcumque Ultramontanos, & ex quibuſvis locis extra Italiam oriundis, nullamque mentionem faciat de Inſulis Italiæ adia-

adiacentibus, uti ſunt Inſulæ, Siciliæ, Sardinæ, Melitæ, & Corſicæ, contra conſuetum ſtylum Summorum Pontificum, qui in ſuis Conſtitutionibus, & Edictis, expreſſam, & claram mentionem facere ſolent dictarum Inſularum, conſequens eſt dictas Inſulas non compræhendi in dicta Conſtitutione, quod roboratur ſic. Multa compræhenduntur in favorabilibus, quæ tamen in odioſis excluduntur; niſi de illis fiat mentio expreſſa, cum juxta illud vulgare juris, privilegia ſint amplianda, & odia reſtringenda; & patet exemplo: nam ſub nomine Clericorum in materia favorabili compræhenduntur Epiſcopi, & Religioſi utriuſque ſexus, eorumque novitii, non tamen in materia odioſa, ut docet Laym. *lib.* 1. *trac.* 5. *p.* 2. *cap.* 4. *n.* 3. Hinc cum dicta Conſtitutio ſit inflictiva pœnæ, atque adeo odioſa, & odia, uti dixi ſint reſtringenda, indubitatum videtur, in Conſtitutione non compræhendi dictas Inſulas, quæ ſemper in favorabilibus veniunt ſub nomine Italiæ, non autem in odioſis ut expreſsè docet Tambur. *in Methodo Confeſſionis, lib.* 3. *cap.* 7: *n.* 16. Et quamvis Jacobus Boſius in Hiſtoria Sac. Religionis Hieroſolymitanæ, adhærendo nonullis Hiſtoriographis, & Geographis,

qui

qui Europæ Provincias, ſeu Regiones deſcribunt, numeret Inſulam Melitæ inter alias Africæ ſubiectas: attamen acriter impugnatur à F. Franciſco Abella, qui vult eſſe partem Europæ, & inter Inſulas Italiæ adiacentes locum habere, & pro ſua ſententia quamplures authores adducit, qui apud ipſum in ſuo Tomo de Melita illuſtrata videri poſſunt.

Infertur tertio, dictam Conſtitutionem, in qua etiam ſtatuitur, *Italos Clericali Charactere inſignitos, vel ad minores Ordines promotos, cum falſis dimiſſoriis, ab alieno Epiſcopo, ſequuta tamen prius Judicis Eccleſiaſtici declaratione; Fori privilegio minimè gaudere, & ſæculari jurisdictioni, plenè in omnibus ſubiacere*, non compræhendere dictarum Inſularum ſubditos.

Ad quod aſſerendum moveor primo, quia prædictæ Inſulæ, quamvis Italiæ adiacentes, non ſunt tamen rigorosè intra Italiam, ſed extra, ut ſtudenti Coſmographiæ apparet, ſi igitur ſunt extra Italiam, & ſummus Pontifex ſolùm Italos privare intendit privilegio fori, quando cum falſis dimiſſoriis ad ſtatum Clericalem promoventur, certum eſt Conſtitutionem, præmemoratos Inſulanos minimè compræhendere, quod multo magis verificari vide-

de-

detur de Inſula Melitæ, de qua, ut ſupra innuimus, dubitatur, an ſit Italiæ adiacens.

Moveor Secundo, quia in dicta Conſtitutione Urbani, nulla ſit mentio de Inſulis adiacentibus, ergo cum diſpoſitio limitata, limitatum etiam pariat effectum, dicendum videtur, has Inſulas, non compræhendere.

Moveor denique tertio, quia Conſtitutio, uti dixi, eſt inflictiva pœnæ, ac per conſequens agitur de re odioſa, quæ cum ſit reſtringenda, proinde ſequitur, prædictas Inſulas, in præſenti caſu, non venire ſub nomine Italiæ, ut docet cit. Tambur. *lib.* 7. *de Ord. cap.* 8. pro qua ſententia quamplurimos non infimæ notæ authores adducit. Adeoque, cum nulla expreſſa adſit declaratio Sac. Congregationis Concilii Tridentini, aut Immunitatis, de qua mihi non conſtat, dicendum omnino exiſtimo, in Conſtitutione non comprehendi.

Neque obſtat, quod in multis, nomine Italiæ, compræhendantur Inſulæ adiacentes, quia ea, vel ſunt favorabilia, adeoque amplianda, vel conſuetudo præſcripſit. In caſu veró noſtro eſt materia odioſa, utpotè pœnalis, nec ulla in contrarium adduci poteſt conſuetudo, aut præſcriptio.

Ex his tandem ſubinfero, quod ſi certum non erit, dictam Conſtitutionem non compræhendere Inſulas adiacentes, erit ſaltem probabile. In dubio verò ſtandum eſt pro reo, & immunitate, & ad pietatem propenſum judicium habere Judex debet, ut poſt Bald. *Conſ.* 27. *in fine lib. primo* docent Tuſcus *tom.* 6. *Concluſ.* 337. Santarellus, & alii &c.

## NOTA QVARTO.

CLericus Ultramontanus inſerviens a triennio, & ultra Epiſcopo ſuæ Nationis, ſed in Italia Epiſcopatum habente; ab eodem de Beneficio Eccleſiaſtico, pluſquam ad congruam ſuſtentationem ſufficienti proviſus; ab eodem Epiſcopo Sacros Ordines, uſque ad Presbyteratum incluſivè ſuſcepit. Queritur; Utrum obſtet ſibi ad licitam promotionem ſupradicta Bulla Urbani VIII. An verò iſte ratione familiaritatis, & Beneficii reputari tamquam Italus debeat; & Bulla dici poſſit in hoc caſu non intrare, eo quia iſte non ſe promovit cum dimiſſorialibus Epiſcopi exteri, & ſic recognoſcendis in partibus, & in Urbe, ſed uti Subditus, & in vim ordinariæ facultatis a Sac. Conc. Trid. *ſeſſ.* 23. *cap.* 9. ſuo Epiſcopo, cui, ſecluſa fraude,

de, inſerviit, attributæ: ea præſertim ratione, quia cenſura, & pœna non incurritur, niſi in caſibus expreſſis, & non per illationem.

Reſpondeo, dictam Bullam non compræhendere caſum propoſitum: tum quia non derogat Trid. loco ſupra citato, ubi Concilium concedit abſolutè facultatem Epiſcopis, Ordinandi ſuum familiarem non ſubditum, ſi per triennium ſecum fuerit commoratus, & Beneficium, quacumque ceſſante fraude, reipſa eidē conferatur: Tū quia finis Bullæ eſt, arcere a ſuſceptione Ordinum Irregulares, Apoſtatas, & indignos, dimiſſorias falſas, & fictum Patrimonium habentes, ut patet ex lectura ejuſdem Conſtitutionis §. 2. *&* 3. talis autem non eſt ordinatus in propoſito caſu. Tum etiam, quia Urbanus confirmat, quod alias Clemens Papa IV. conſtituerat *in cap. 1. de temp. Ord. in 6.* Ibi autem Clemens dicit, poſſe Clericum Ordinari ab Epiſcopo, in cujus Diæceſi Beneficium obtinet.

Sed omnem omninò dubitationem eliminat Conſtitutio Innocentiana, quæ incipit *Speculatores*; ibi enim ſtatutum, ac definitum exſtat, quod in omnibus ordinationibus, quæ fiunt per alienos Epiſcopos, ſive ratione Beneficii, ſive Fami-

liaritatis triennalis Epiſcopi, ſemper requiritur Teſtimonialis Epiſcopi Originis. An autem Teſtimoniales hujuſmodi Epiſcoporum Ultramontanorum recognoſci debeant, eo prorſus modo, quo Dimiſſoriales, dubium eſt; ego autem puto, quod quamvis ſtando literæ, & rigori Bullæ, quæ ſolùm loquitur de Dimiſſorialibus, potius credendum ſit, illam non compræhendere Teſtimoniales, ex ea potiſſimum ratione, quia juxta ſuperius dicta, odioſa non ſunt amplianda, ſed reſtringenda; nihilominus cum agatur de re, magni momenti, & in qua eedem omninò fraudes ſubeſſe poſſunt, ideo ad illas vitandas conſultius, ac tutius erit prælaudatas Teſtimoniales non admittere, niſi prius, ut ſupra, ab Apoſtolicis Nuntiis recognitæ, & approbatæ fuerint; quod etiam conformatur praxi Secretariæ Tribunalis.

CA-

# CAP. UNDECIMUM.

## Pro exteris, qui in Urbe ab Emo Vicario, vigore ejus facultatum, ex Indulto S. M. Gregorii XIV. 20. Martii 1591. ad primam Tonſuram dumtaxat, abſque Litteris Dimiſſorialibus propriorũ Ordinariorũ, admitti obtinent, requiſita.

I. SUPPLEX LIBELLUS Emo Vicario porrectus, & ab eodem ſignatus, ſpeciali hoc reſcripto : *Admittatur Orator juxta facultates*, vel *in vim noſtrarum facultatum, ad primam Tonſuram.*

II. *FIDES DOMICILII*, ſal-

tem triennalis in Urbe, facta a proprio Paroco, vel a Teſtibus Fide dignis, & in Secretaria Tribunalis repetitis, vel plenè recognitis, ex ſtylo Tribunalis.

III. *FIDES BAPTISMI*, Confirmationis, & Matrimonii Parentum, prout de Romanis diſpoſitum eſt ſupra cap. 1. quæ teſtimonia debent eſſe in forma valida; & in Urbe ſer. ſer. recognita.

IV. *TESTIMONIUM* proprii Ordinarii, tàm originis, quàm Domicilii (ſi extra Patriam moras duxit) ſeu aliorum fide dignorum, arbitrio ſupradicti Vicarii, ſuper vita, & moribus ipſius initiandi, & quod nullum habeat canonicum impedimentum.

V. *TESTIMONIALES* Curiæ Laicalis loci originis, & Domicilii reſpectivè, quod initiandus non ſit inquiſitus proceſſatus, neque

ali-

aliquo crimine innodatus.

VI. *TESTIMONIALES* Magiſtri Scholæ, ac proprii Parochi, vel Parochorum de vita, & moribus, ut in præcedentibus Capitibus.

VII. *EXAMEN*, & approbatio, ad formam Tridentini, & Exercitia Spiritualia, aliaque requiſita, ut dictum eſt *cap.* 1. *num.* 5. 6. *&* 9.

## ADNOTATIONES.

### *NOTA PRIMO.*

URbis Vicarius inſignire poteſt prima Clericali Tonſura quoſcumque, etiam abſque Litteris Dimiſſorialibus ſuorum Ordinariorum, ex Indulto Gregorii XIV. vivæ vocis oraculo, dato Cardinali Ruſticuccio Vicario, ut ex ſequenti atteſtatione, in autentica forma regiſtrata in Secretaria Tribunalis in libro Ordinationum, ab anno 1588. uſque ad annum 1595. fol. 181.

## *Indultum, ſeu facultas conceſſa Urbis Vicario, conferendi primã Tonſuram quibuſcumque, etiam alienæ Diœceſeos.*

*Die Mercurii* 20. *Martii* 1591.

Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus D. D. Hieronymus, Miſeratione divina, Tit. S. Suſannæ, S. R. E. Præsbyter Cardinalis Ruſticuccius SS. D. N. Papæ Vicarius, exiſtens in Congregatione, cum Reverendiſſimo P. D. Viceſgerente, & aliis RR. PP. DD. Marcolino Monſignano Locumtenente in Civilibus, Vincentio Fanario, Utriuſque Signaturæ Referendariis, & aliis de Congregatione, dixit, & declaravit, ac fidem fecit, Sanctiſſimum in Chriſto Patrem, & Dominum Gregorium Papam XIV. vivæ vocis oraculo, ſibi licentiam, & facultatem conceſſiſſe, & impertitum fuiſſe conferendi primam Clericalem Tonſuram quibuſcumque exteris, alias tamen habilibus, etiam qui non habent litteras Dimiſſoriales ab eorum Ordinariis, non obſtante Bulla fel. rec. Sixti Papæ V. contra malè promotos, ac quibuſcumque Conſtitutionibus Apoſtolicis, & Synodalibus, & aliis quibuſcumque, ſuper qui-

*quibus præſentibus rogatur teſtibus.*

Quod quidem Indultum, licet Cardinali Ruſticuccio tantùm conceſſum fuerit, intelligitur tamen conceſſum etiam Succeſſoribus Vicariis, nedum ex tacito conſenſu Summorum Pontificum ſubſequentium, ſed etiam expreſſo, virtute effrenatorum verborum, quæ in Brevibus Deputationis Vicariorum leguntur: *Cum omnibus, & ſingulis privilegiis, facultatibus, prærogativis &c. conſuetis, ac aliis, quibus in Vrbe, & diſtrictu Vicarii &c. frui, poteri, & gaudere poterunt.*

Nec obſtat, quod omnia vivæ vocis oracula, de quibus etiam Cardinales in ſcriptis teſtati ſunt, revocata fuerint ab Urbano VIII. in Conſtitutione 119. Idem enim Pontifex, altera ſua Conſtitutione 139. declaravit, in hujuſmodi revocatione non compræhenſa eſſe oracula, de quibus Miniſtri Curiæ teſtantur circa res ſpectantes ad eorum Officium.

Ad hæc præter obſervantiam inconcuſsè ſervatam, ut videre eſt in Regeſtis Ordinationum Secretariæ Tribunalis, ex quibus conſtat ſubſequentes Vicarios, uſos fuiſſe hoc Indulto; accedit etiam Declaratio Sac. Rotæ Deciſ.292. num.3. coram Seraphino, & Deciſ. 117. n. 5. coram Duran.

ran. nec non ſequens Sac. Congregationis Concilii Decretum.

## *Oritana*.

„ NIcolaus Paſaniſi, de loco Caſalis
„ Novi, poſtquam de anno 1697.
„ per quinque menſes in Urbe commora-
„ tus fuerat, ut Lauream Doctoralem
„ conſequeretur, prima Clericali Tonſu-
„ ra ab Emo Urbis Vicario, abſque litteris
„ Dimiſſorialibus Ordinarii, obtinuit in-
„ ſigniri, & ſucceſſive Patriam repetiit.
„ Hujus Clerici promotionem impu-
„ gnans Univerſitas dicti loci, quia ille
„ Clericatum reportaverat ſub falſa ex-
„ preſſione, quod in Urbe per tres annos
„ continuos permanſerat, duo diſputan-
„ da propoſuit in hac Sac. Congregatio-
„ ne dubia, nempe:

„ Primum. An ab Emo Vicario poſſint
„ ad primam Tonſuram inſigniri, exteri ab-
„ ſque licentia ſuorum Ordinariorum, non
„ expectato ſaltem tempore triennii habi-
„ tationis.

„ Secundũ. An talis, cum falſa cauſa pro-
„ motus, haberi debeat tamquam Sæcula-
„ ris ad, formam Conſtitutionis S. M. Ur-
„ bani VIII. Editæ anno 1624. ſub die 11.
„ Decemb.

At

Digitized by Google

At quia Em̃us Dñus Cardinalis Panciaticus, ejuſdem Sac. Congregationis Præfectus reſcripſit, non eſſe proponendum primum dubium in Sacra Congregatione, innixus auctoritate Em̃i Vicarii Urbis, pluries in Sacra Rota canonizata, & ſignanter in *Deciſ. coram Seraph. 292. n. 3. coram Duran. 117. n. 5. & ſequen. & Deciſ. 47. n. 5. & ſeqq. poſt Navar. in Summ. Bullar.* Hinc Univerſitas prædicta, denuò recurſum habuit ad Sanctiſſimum, ut demandaret dicto Em̃o Præfecto propoſitionem utriuſque dubii, &c.

*Die 21. Aprilis 1701. Sanctiſſimus D. N. audita relatione D. Secretarii ejuſdem Sac. Congregationis, ſervari mandavit reſcriptum præfati Em̃i Præfecti.*

Et videtur congruum, quia cum ad Urbem accedant plures, ratione ſtudiorum, & Curiæ, pro obtinendis Beneficiis a Dataria Apoſtolica, & præſertim familiares Cardinalium, quibus iſti ſolent, ob benemeritum, transferre Penſiones in obitu: ideo ut habiles ſint dictarum gratiarum, rationabile eſt, Vicarium Papæ, poſſe prima Clericali Tonſura eos inſignire, præſertim, ſi ſint perſonæ notæ qualitatis, ac ſpectatæ probitatis.

Hujuſmodi autem facultas, quamvis li-

mi-

mitata non ſit ad illos tantùm, qui per triennium, vel per aliquod præfixum temporis ſpatium, in Urbe moras duxerunt, ut falsò in ſupradicto ſupplici libello, Sacræ Congregationi Concilii porrecto, ſupponebatur, cum non deſint exempla in contrarium, innixa præmemorato Gregorii XIV. Indulto, quod nullam patitur reſtrictionem; Nihilominus Vicarii pro tempore, ferè ſemper ea uſi ſunt, inſpecta principaliter triennali in Urbe habitatione, ac non niſi cum magna cautela, & animadverſione, præcipuè reſpectu illorum, qui ſunt ex Diœceſibus Epiſcoporum Cardinalium, vel Romæ vicinioribus, ac etiam ex Diœceſibus Regni Neapolitani, ubi Tonſurati multis gaudent exemptionibus, in præjudicium Communitatis, quod multo magis obſervandum eſt poſt publicationem noviſſimorum Concordatorum: eamdemque cautelam adhibuerunt reſpectu Perſonarum, illarum Nationum, in quibus, aut valdè dubitatur de puritate Sanguinis, aut ſic Tonſurati puniri ſolent a propriis Epiſcopis, & Parlamentis.

*NOTA SECUNDO.*

SI hujuſmodi initiandi, Teſtimoniales propriorum Ordinariorum in optima for-

forma exaratas exhibent, in quibus expreſſa atteſtatio contineatur, de eorum ætate, Baptiſmo. Confirmatione, legitimitate natalium, ac de bonis, vita, & Moribus, quodque nullum contraxerint canonicum impedimentum pro tempore permanentiæ extra Romanam Curiam, non indigent Documentis recenſitis num. Tertio & quinto, cum in dicta Teſtimoniali contineantur. At ſi Teſtimonialibus hujuſmodi moniti non ſint, indiſpenſabiliter præfata documenta exhibere tenentur; alias omninò reiciendi ſunt, non ſolùm quia ſingulorum defectus eſt eſſentialis, ſed etiam quia dubitari prudenter poteſt, quod Ordinarius Dimiſſoriales denegaverit, ob dictorum documentorum, vel alterius eorum deficientiam.

CA-

# CAP. DUODECIMUM.

## A Reglaribus, tàm ad primam Tonſuram, quàm ad quoſcumque Ordines promovendis, neceſſariò exhibenda.

I. LITTERÆ DIMISSORIALES Superiorum, ad quos pertinet, juxta proprias cujuſlibet Ordinis Conſtitutiones, directæ non cuicumque Antiſtiti, ſed Eminentiſſimo D. Urbis Vicario, ſive ejus Illuſtriſſimo D. Viceſgerenti dumtaxat, juxta Decretum S. M. Clementis VIII. *die 15. Maji 1599.*

II. *LITTERÆ TESTIMONIALES*, ſeu fides ordinum ſuſce-

ptorum, præcipuè ultimò ſuſcepti, ut de lapſu Interſtitiorum conſtet. Trid. *ſeſſ. 23. cap. XI. de Reform.*

III. *EXAMEN* quo ad ſcientiam, & approbatio. Trid. *ſeſſ. d. cap. XII. de Reform.* & ſupra citatum Decretum Clementis VIII.

IV. *EXERCITIA SPIRITUALIA* in propria Domo, per decem dies continuos, ante ſuſceptionem cujuslibet Sacri Ordinis, ex ſtylo invariabili curiæ Eminentiſſimi Vicarii, & ex litteris encyclicis S. M. Innocentii XI. & Clementis XI.

V. *BAPTISMI* Fides, ut conſtet de legitima ætate, præcipuè ſi non fuerit expreſſa ætas in Dimiſſoriis, ex ſtylo ejuſdem Curiæ.

## ADNOTATIONES.

### *NOTA PRIMO.*

Licet Regulares non comprætendantur in Conſtitutionibus Apoſtolicis, quæ

quæ de Clericis Sæcularibus tantùm loquuntur, cum tamen teneantur Ordines ab eo Epiſcopo recipere, in cujus Diæceſi ſitum eſt Monaſteriorum, in quo aſſignati ſunt de familia, juxta Decretum Clementis VIII. ut infra; Hinc eſt, quod omnes Regulares cujuſcumque Ordinis, & Inſtituti, in Conventibus, ſeu Monaſteriis Urbis de familia aſſignati, promoveri debent ad Ordines,ſervatis, ſervandis,ab Urbis Vicario, tamquam a proprio Ordinario, nec alibi ad id tranſmitti poſſunt a ſuis Superioribus, niſi ad formam ſequentis Decreti, ſub pœnis ipſis Superioribus, aliter in ſingulis caſibus in dicto Decreto expreſſis, facientibus, privationis officii, & dignitatis, ſeu adminiſtrationis, ac vocis activæ, & paſſivæ, aliiſque arbitrio Pontificis pro tempore reſervatis, ut ex ſequenti Decreto.

## *Decretum Clementis Papæ VIII. circa Ordines a Regularibus Suſcipiendos.*

„ DE Mandato Sanctiſſimi D. N. Cle-
„ mentis, Divina providentia, Pa-
„ pæ VIII. tenore præſentium, mandatur
„ omnibus, & ſingulis quorumcumque

Re-

„ Regularium Superioribus, ut de cetero
„ obſervent, & obſervari faciant ea, quæ
„ in Decreto Sac. Congregationis Con-
„ cilii Tridenti continentur, cujus tenor
„ eſt talis: Congregatio Concilii cenſuit,
„ Superiores Regulares poſſe ſuo ſubdi-
„ to itidem Regulari, qui præditus, qua-
„ litatibus requiſitis, Ordines ſuſcipere
„ voluerit, Litteras Dimiſſoriales conce-
„ dere, ad Epiſcopum tamen Diæceſanum,
„ nempe illius Monaſterii, in cujus fami-
„ lia ab iis, ad quos pertinet, Regularis
„ poſitus fuerit, & ſi Diæceſanus abfue-
„ rit, vel non eſſet habiturus ordinatio-
„ nes, ad quemcumque alium Epiſcopum;
„ dum tamen ab eo Epiſcopo, qui Ordi-
„ nes contulerit, examinetur quo ad Do-
„ ctrinam, & dum ipſi Regulares non di-
„ ſtulerint de induſtria conceſſionem Di-
„ miſſorialium in id tempus, quo Epiſco-
„ pus Diæceſanus, vel abfuturus, vel nul-
„ las habiturus eſſet ordinationes. Verùm
„ cum a Superioribus Regularibus, Epi-
„ ſcopo Diæceſano abſente, vel Ordina-
„ tiones non habente, litteræ Dimiſſoria-
„ les dabuntur, in eis utique hujuſmodi
„ cauſam abſentiæ Diæceſani Epiſcopi,
„ vel Ordinationum ab eo non habenda-
„ rum exprimendum eſſe. Quod qui non

S fe-

„ fecerint, officii, & dignitatis, ſeu ad-
„ miniſtrationis, ac vocis activæ, & paſ-
„ ſivæ privationem, ac alias arbitrio ejuſ-
„ dem Sanctiſſimi D. N. Papæ reſervatas
„ pœnas incurrant. In quorum fidem &c.
„ Datum Romæ die 15. Menſis Martii
„ 1596.

Et ad omnes fraudes effugiendas, praxis communiter introducta eſt, quod ultra expreſſionem, per Superiores Regulares, in Dimiſſoriis faciendam, nempe quod Epiſcopus localis ſit abſens, aut non ſit habiturus Ordinationes, exhiberi etiam debet ſuper hoc Epiſcopo Ordinanti Atteſtatio Vicarii Generalis, aut Cancellarii, ſive Secretarii ſupradicti Epiſcopi localis, quemadmodum obſervant Monacell. *in Formul. legal. part.* 1. *pag.* 295. *n.* 6. & Eminentiſſimus Petra *tom.* 1. *in Com. ad Conſtit. Apoſtol. pag.* 341. *num.* 37.

Hujuſmodi autem Dimiſſoriales debent continere, non ſolùm commendationem, ſeu teſtimonium de legitimis natalibus, ætate, & moribus; ſed etiam de Scientia, & idoneitate Ordinandi, juxta monita Concilii Trid. *cap.* 3. 8. & 12. *ſeſſ.* 13. Unde qui petit dimitti, prius examinari debet ſuper habilitate, idque factum fuiſſe, in litteris ſuis debet exprimere dimittens, ne

vi-

videatur dimittere indignos, etiam ſi juxta Concilii diſpoſitionem *in cit. Cap.* 12. iterum ab Epiſcopo examinari debeant, ut docet Piaſec. *prax. Epiſc. par.* 1. *cap.* 1. *art.* 2. *de ſubdit. Ordin. n.* 17. Et ut benè obſervat Sayr *de Cenſur. lib.* 7. *cap.* 10. *num.* 30. *circa fin.*

Inſuper in dictis Dimiſſorialibus a Regularibus pro recipiendis Ordinibus Sacris, Epiſcopo Diæceſano, vel non Diæceſano præſentatis, contineri debet, dimiſſos, eſſe de familia in Conventu N. aſſignatos, & libera voluntate profeſſionem emiſiſſe, juxta præſcriptum eorum Regulæ, & ſi tales explicitas expreſſiones non contineant, reiiciendæ ſunt; exceptis tamen Patribus Soc. Jeſu, quibus Gregorius XIII. in ſua Conſtitutione incipiente: *Ex Sedis Apoſtolicæ benignitate*: etiam indulſit ut ad Sacros Ordines promoveri poſſent, poſt vota ſimplicia dumtaxat, ante ſolemnem profeſſionem, non obſtantibus Conſtitutionibus Apoſtolicis, & in ſpecie Conſtitutione S. Pii V. Poſſet quoque ab Epiſcopo exigi Juramentum, manu propria Ordinandorum, in actis regiſtrandum, obſignatum, ipſos id ſponte, & libera voluntate feciſſe, aut ratum habuiſſe, & hoc ad præcludendam viam frequentibus

reclamationibus ſuper nullitate Profeſſionis ex capite, & prætextu vi illatæ, prout *in Concil. Provincil. 2. tit. 1. Decret. 23.* præſcripſit divus Carolus.

Supradictum Decretum Clementis VIII. confirmatum fuit ab Innocentio XIII. in ejus Conſtitutione pro Hiſpaniæ Regnis, quæ incipit *Apoſtolici Miniſterii.* ſub die 13. Maii 1723. & a Benedicto XIII. alia Conſtitutione quæ incipit: *In ſupremo.* die 23. Settembris 1724. §. *Quoties*.

Ne verò incertitudo, an Epiſcopi Ordinationes ſint habituri, nimis grave afferat incommodum promovendis, varia Diæceſis loca inhabitantibus, Benedictus XIII. in mox citata Conſtitutione, poſtquam decrevit, quod Epiſcopi per ſeipſos, ſecluſo ægritudinis caſu, Ordines conferant in Cathedrali Eccleſia &c. ſtatuit, ut per menſem ante, ſingulis vicibus, pubblico edicto ab iiſdem Epiſcopis denuncietur, ſe Ordinationes eſſe habituros, adeo ut, quoties denunciatio hujuſmodi facta non fuerit, inde ſatis intelligant Regulares, Epiſcopum Diæceſanum, Ordinationes ea vice minimè eſſe habiturum, ſibique idcirco licitum futurum, Ordines ab alio Epiſcopo ſuſcipere, cum litteris Dimiſſoriis ſuorum Superiorum ad eum directis,

ſer-

ſervata in iis forma ſuperius expreſſa.

At per præmemoratum Clementis VIII. Decretum, non intelligitur præjudicatum habentibus privilegium, ut a quocumque Epiſcopo Ordinari valeant, poſt Concilium: *exceptis tamen* (ſunt verba Bullæ Innocentii XIII.) *quo ad prædicta, Regularibus illis, quibus per Speciale Privilegium a Sede Apoſtolica poſt Concilium Tridentinum fuerit conceſſum, ut a quolibet Catholico Antiſtite Ordines ſuſcipere poſſint, ſuper quo Indulto nihil per præſentes innovare intendimus*; prout habent Fratres Ordinis S. Pauli primi Eremitæ, Provinciæ Hungaricæ ſtudentes in Urbe, vigore ſequentis Decreti Sac. Congregationis de Propaganda Fide.

## *Decrerum Sacræ Congregationis de Propaganda Fide, habitæ die 26. Septembris* 1718.

„ Relatis per R. P. D. Petrum Aloyſium Carafa Archipiſcopum Lariſſæ Secretarium precibus Provinciæ Hungaricæ, Ordinis S. Pauli primi Eremitæ, pro communicatione Privilegii, & Indulti, quo Religioſi ejuſdem Ordinis, & Provinciæ, Romæ ſtudentes, ad

„ omnes etiam Sacros, & Presbyteratus
„ Ordines extra tempora, & non ſervatis
„ Interſtitiis, promoveri in Urbe poſſint,
„ & valeant; ut ſcilicet ſtatim, ac in Pro-
„ vinciam reverſi fuerint, Miſſionibus ei-
„ dem Provinciæ à Sacra Congregatione
„ commiſſis operam dare poſſint. Eminen-
„ tiſſimi Patres, Sanctiſſimo D. Noſtro ap-
„ probante, hujuſmodi precibus benignè
„ annuerunt. Datum Romæ die 28. Fe-
„ bruarii 1719.: *Joſeph Cardinalis Sacri-*
„ *pantes Præfectus. P. A. Archiepiſcopus*
„ *Lariſſæ Secretarius*:

Et prout etiam habent PP. Societatis Jeſu, ( non enim notitiam habeo aliorum, qui ſimile Privilegium habeant ) quibus poſt Concilium Tridentinum Gregorius XIII. Gregorius XIV. & Paulus V. non ſolùm conceſſere Privilegium *de extra tempora* in tribus Dominicis, vel aliis feſtivis diebus, etiam continuis, ſed etiam aliud, ut ſcilicet a quocumque Epiſcopo promoveri valeant, cum clauſula incommunicabilitatis. Nec ſupradictis derogatum fuit per Decretum Congregationis ab Innocentio XII. Deputatæ ſuper moderatione Indultorum *de extra tempora* edit. ſub die 14. Decembris 1693. ut ex ſequenti declaratione.

*Bea-*

## *Beatiſſime Pater.*

„ SOcietas Jeſu, ex Sedis Apoſtolicæ be-
„ nignitate, à Sæculo, & ultra, utitur
„ privilegio, quod San. Mem. Grego-
„ rius XIII. eidem Societati conceſſit in
„ ſua Conſtitutione 77. Bullar. Rom. Tom.
„ 2. die 22. Septembris 1582. ut nimirum
„ ejuſdem Societatis Religioſi, prævia
„ ſuorum Superiorum facultate, ad quoſ-
„ cumque, tàm minores, quàm Sacros
„ Ordines promoveri valeant a quolibet
„ Epiſcopo, & Antiſtite, gratiam, &
„ communionem dictæ Sanctæ Sedis ha-
„ bente, abſque ulla functione, inquiſi-
„ tione de idoneitate, aliiſque requiſi-
„ tis, & ſignanter abſque ulla Interſti-
„ tiorum obſervatione, in tribus Domi-
„ nicis, vel aliis feſtis diebus, etiam con-
„ tinuis; quod Indultum Gregorius XIV.
„ & Paulus V. San. Mem. cum ceteris ei-
„ dem Societati a Summis Pontificibus an-
„ tea conceſſis, plenè confirmarunt. Quo-
„ niam verò die 14. Decembris 1693. con-
„ gregatio particularis a Sanctitate veſtra
„ deputata, Decretum Edidit ſuper mo-
„ deratione Indultorum ſuſcipiendi Or-
„ dines extra tempora a jure ſtatuta;

„ quamvis dicta Societas, nec explicitè,
„ nec implicitè videatur in eodem Decre-
„ to comprehenſa ; nihilominus ad om-
„ nem hæſitationem, quæ contingere
„ poſſet, removendam, Thyrſus Gonza-
„ lez Præpoſitus Generalis ejuſdem So-
„ cietatis humillimè ſupplicat S. V. ut di-
„ gnetur declarare, diſpoſitionem præfa-
„ ti Decreti nullatenus involvere dictam
„ Societatem. Quod ſperat &c. quam
„ Deus &c.

Commiſſio Sanctiſſimi ad relationem Illm̃i, & Rm̃i D. Secretarii Memorialium.

*Ad Dominum Viceſgerentem cum SSm̃o.*

*Carolus Auguſtinus Fabronus.*

## *Decretum Sanctiſſimi D. N. Innocentii PP. XII. Referente Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo D. Epiſcopo Interamnenſi Viceſgerente.*

*Die 17. Auguſti 1695.*

F*Acto verbo cum Sanctiſſimo D. Noſtro, Sanctitas Sua, prævia declaratione, quod in Decreto de Sacris Ordinationibus* edi-

*edito die* 14. *Decembris* 1693. *non comprehenduntur Clerici Societatis Jeſu, ſpecialiter, & expreſſe mandavit, in eis ad Ordines promovendis, ſervari Conſtitutionem Gregorii XIII. quæ incipit. Pium, & utile. Datum* 22. *Settembris* 1582.

*Sperellus Epũs Interamnen. Viceſgerens.*

## NOTA SECUNDO.

NOviſſimè quoque in Concilio Romano ſub Benedicto XIII. *Tit.* 5. *de temp.ordinat. cap.* 1. adeſt ſequens Decretum; quo etiam præmemoratum Clementis VIII. Decretum confirmatur ,, Cum iuxta regulas Eccleſiaſticas, & Sanctorum Decreta Pontificum, Sacræ ſtatis a jure temporibus celebrandæ ſint Ordinationes, pœnas propterea contra extra ea tempora Ordinantes, Sacroſque Ordines ſuſcipientes, innovamus; ſingulis verò promovendorum expreſsè ſignificamus, ut ſi quis ipſorum Apoſtolicæ diſpenſationis litteras, ſive per Datariam, ſive per Brevium Secretariam, ſive alio quocumque modo expeditas, quatenus ad Sacros Ordines, extra conſueta Ordinationum tempora, a quocumque maluerit catholico Epiſcopo promoveri valeat, obtinuerit, illas ſem-

rati Decreti, pœnas, incurrunt, quæ a Sacris Canonibus ſancitæ ſunt contra recipientes Ordines ab alieno Epiſcopo, & contra conferentes abſque legitimis Dimiſſorialibus, & abſque debitis cautelis, in præjudicium alienæ juriſdictionis.

Pro abſolutione a dictis pœnis, & pro diſpenſatione ſuper Irregularitate, ſi promoti celebraverint, recurri ſolet ad Sacram Pœnitentiariam, quæ, cum quo ad Regulares habeat juriſdictionem in utroque foro, ipſos proinde abſolvere, & reſpectivè diſpenſare ſolet, audito tamen prius ordinario, ac impoſita pœnitentia ſalutari.

## *NOTA TERTIO.*

NOn admittuntur Dimiſſoriæ, cum Interſtitiorum diſpenſatione, quæ pertinet ad Epiſcopum Ordinantem, qui tenetur ſtare atteſtationi Regularium Prælatorum, factæ de neceſſitate, aut utilitate Eccleſiæ, ex quibus petitur diſpenſatio Interſtitiorum, ut clarè demoſtrat Marchinus *de Sacramento Ordinis parte* 7. *cap.* 2. *num.* 2. *& ſequentibus*, & docent Bonaccina, & Diana, qui etiam referunt ex Quaranta verbo *Ordo*, id declaratum fuiſſe a Sacra Congregatione Concilii, his verbis:

bis: *Die 7. Settembris* 1594. *Sacra Congregatio Concilii cenſuit, Superiores Regulares non poſſe diſpenſare ſuper Interſtitiis Regularium Ordinandorum, ſed id pertinere ad Epiſcopum Ordinantem, qui tamen, quo ad cauſam diſpenſationis, judicium formare debet ex atteſtatione Superiorum Regularium*. Quod etiam declaratum fuit *in una Aquen. de anno* 1589. *ut in libro Sexto Decretorum pag.* 18. *a tergo*.

Quæ atteſtatio fieri poteſt, tùm à Prælato Superiori dante Dimiſſorias, tùm a Prælato Locali illius Religioſi, pro quo petitur diſpenſatio. Benè tamen verum eſt, quod ſi cauſa allata non ſit talis, ut Epiſcopus teneatur in conſcientia diſpenſationem concedere, puta neceſſitas, vel gravis utilitas Eccleſiæ, poteſt Epiſcopus diſpenſationem negare. Præcipua hujus ratio eſt, quia diſpenſatio eſt actus gratiæ; & non omnis cauſa, quæ ſufficit ad validè diſpenſandum, cogit, ſeu neceſſitat, ut diſpenſatio detur.

## *NOTA QVARTO.*

AN autem antiqua Privilegia, a Sede Apoſtolica Regularibus conceſſa, recipiendi Ordines extra tempora fuerint revocata per Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 23. *cap.*

*cap.* 8. Affirmant plures Doctores, inter quos Gonzalez *in cap. de eo. num.* 7. *verſ. ſed hodiè poſt Concilium*. Suarez *de leg.c.*17. *num.* 8. Barboſa *ad Concil. num.* 5. *& c.* 33. *de Jure Eccleſ. num.* 182. & alii quamplurimi, quos refert Emus Petra *in comment. ad Conſtitut. VII. Pii Secundi*. In contrariam ſententiam plures quoque D. D. devenere, præſertim Salmaticenſes *tom.* 2. *Theol. Moral.de Sacramentis in genere, trac.* 8. *cap.* 8. *punct.* 5. *num.* 82. *& ſequent.* Ubi alii adducuntur. Roderic. *quæſt. Regul. tom.* 1. *quæſt.* 55. *art.* 17. & alii ab eodem Emo Petra, ubi ſupra, relat. Sed utramque Doctorum in diverſa abeuntium aſſertionem, eſſe opinionem non verò ſententiam certam aſſerendum eſt, ut benè advertit Paſſerinus inſignis Ordinis Prædicatorum *de ſtatu hominum tom.* 3. *quæſt.* 189. *art.* 10. *inſpect. n.* 832. *in fine*: ibi: *Quia hæc opinio tradens poſſe id fieri per privilegia communia ſit opinio, non verò ſententia certa; Epiſcopi nolunt eam ſequi, & ideo, qui indigent Ordinari recurrunt ad Summum Pontificem, & hoc quidem eſt tutius, & ſecurius*. Et quamvis in Concilio Romano ſub Benedicto Decimotertio,ſequens extet Decretum; *Quo verò ad Regulares, Privilegia a Summis Pontificibus habentes, ſi-*
*vè*

*vè expraſſè, ſive per viam communicationis conceſſa, Sacros videlicet Ordines extra tempora ſuſcipiendi, cum Privilegia ipſa in ſuo robore perſiſtant, nec iis derogatum fuiſſe conſtet, decernimus proinde, Regulares eoſdem, abſque novo indulto Apoſtolico, tutò poſſe extra tempora ordinari. Tit. V. de temporibus Ordinationum cap.* 11. Nihilominus cum in dicto cap. non legatur: *ſivè expreſſè, ſive per viam communicationis ante Concilium Tridentinum conceſſa*, dici non poteſt, quod per Concilium Romanum deciſa fuerit controverſia, cum ſemper in ſuo robore eadem ratio perſiſtat, per Concilium Tridentinum, loco citato, derogatum fuiſſe, antecedentibus Privilegiis. Nec hujuſmodi ratio, aut ſubtilis, aut inſufficiens reputari debet, quoniam in ipſius ſequelam ab initio Pontificatus S. M. Clementis XII. uſque ad hæc tempora, in Urbe nullum aliud Privilegium *de extra tempora* admiſſum fuit, niſi ſolum conceſſum Fratribus S. Pauli primi Eremitæ provinciæ Hungaricæ, ut ſupra dictum eſt, & Patribus Societatis Ieſu, non illud quidem conceſſum a Paulo III. de quo loquitur *in ſua Conſtit.* 48. §. 19. *Bullarii tomo primo*, cum emanatum fuerit ante Concilium, ſed illud Gregorii XIII. poſt Conci-

ci-

cilium, inſertum *in ſua Conſtitutione* 77. *Bullar. tom.* 2. quod Privilegium poſtea confirmatum fuit a Paulo V. & ab Innocentio XII. nec extendi poteſt ad alios Ordines Regulares, qui participant de Privilegiis dictæ Societatis, nam Gregorius XIII. in §. 4. citatæ Bullę, ſtatuit (ſunt verba Bullæ) *Præſentis autem gratiæ, communicationem omnibus aliis, etiam, qui ſua privilegia cum ipſa Societate copioſè participant, & participare poterunt, quomodolibet in futurum fieri, omninò prohibemus.*

Non eſt tamen hic prætereundum, quod Fratribus Minoribus de obſervantia, in partibus Indiarum Occidentalium degentibus, fuit ſupradictum privilegium conceſſum poſt Concilium ab Urbano VIII. in Conſtitutione *Cum ſicut* 44. ut expeditiores eſſent pro operibus Apoſtolicis exercendis in illis partibus.

## NOTA QUINTO.

PRoviſio Tituli Beneficii, vel Penſionis, aut Patrimonii, requiſita in Clericis Sæcularibus, etiã antiquitus non erat neceſſaria in Monachis, aliiſque Clericis Regularibus; hi enim, quãvis in primis Eccleſiæ ſæculis non admitterentur ad Clericatum, neque ordinarentur, cum ab homini-

ni-

nibus ſegregati, contemplationi, ac pœnitentiæ operibus tantùm vacarent, humilitatemque colerent, ut probat Azorius *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 19. *verſ. Vltimo.* & Bordonus *de Profeſſione Regulari cap.* 1. *num.* 6. 51. & 52. Nihilominus tùm ob penuriam Clericum Sæcularium, tùm ob excellentiam Monachorum, qui Sanctitate morum, & Doctrinæ radiis fulgebant, ceperunt promoveri ad Sacros Ordines, & Animarum regimini applicari; at in horum ordinatione, nullus Titulus requirebatur, vel quia jam alimentabantur in ſuis Monaſteriis, poſſidentibus bona in communi; vel ſi in rigoroſa paupertate vivebant, prout faciunt Cappuccini, ac Reformati S. Franciſci, illis pro Titulo deſerviebat Sporta, ut ait Sanctus Antoninus 3. *part. tit.* 14. & Navarrus *in Manual. cap.* 27. *num.* 268. relati a Lezana *in ſumma tom.* 1. *cap.* 14. *n.* 10. Et Dei benignitas, ac providentia, quæ nemini deeſt, & etiam Oves paſcit, erat eorum Titulus, ac Patrimonium indeficiens. Et hinc factum fuit, ut in Concilio Trid. quamvis ſtatutum fuerit *in ſeſſ.* 21. *cap.* 2. quod Clerici Sæculares non ordinarentur in Sacris, abſque Titulo Beneficii, vel Patrimonii, aut Penſionis, nihil legitur diſpoſitum de Ordinatione Regu-

gu-

gularium ; Nihilominus pauló poſt Tridentinum Concilium, S. Pius V. Summus Pontifex, juſtis de cauſis animum ſuum moventibus, ad rẽmovendos abuſus procedentes ab illis, qui ſe jactabant Religioſos, ac Regulares, & ſi verè non emiſiſſent Profeſſionem in aliqua approbata Religione; Statuit, Ordinavit, ac decrevit, ut etiam Regulares non profeſſi, promoverentur ad Ordines Sacros ad Titulum, vel Beneficii, vel Patrimonii, vel Penſionis, & non aliàs, ſub pœna ſuſpenſionis ab ordinibus ipſo facto incurrenda, prout *in ejus Bulla* 75. *in Bullario Romano tom.* 2. *pag.* 205. incipien. *Romanus Pontifex.* Adeout in præſenti, nullus Regularis, qui ſolemnem Profesſionem non fecerit promoveri poſſit ad Sacros Ordines, niſi ad Titulum Beneficii, Patrimonii, aut ſufficientis Penſionis, (ſecus ſi profeſſionem emiſerit, tunc enim promovetur titulo religioſę paupertatis); Exceptis tantummodo Patribus Societatis Jeſu, qui, emiſſis in Societate poſt biennium tribus Votis ſimplicibus, Ordinantur ad Titulum Religionis, ex ſpeciali Privilegio ipſis conceſſo per Gregorium XIII. in Bulla *Aſcendente Domino*, de qua teſtatur Pignatellus *tom.* 5. *conſult.* 77. *a n.* 44. *& ſeqq.*

T Hinc

Hinc anno 1689. cum Reverendiſſimus Abbas Caſſinenſis Monaſterii Mutinæ contuliſſet Minores Ordines cuidem Oblato: deinde eidem dediſſetDimiſſoriales Litteras pro ſuſcipiendis Ordinibus Sacris ad titulum Paupertatis, ac Religionis, ab Epiſcopo Rhegienſi, a quo etiam illos ſuſcepit; Orto dubio, an ritè, ac rectè collati fuiſſent ipſi Ordines? idem Reverendiſſimus Abbas, conſulens conſcientiæ ſuæ, præſentare fecit Sacræ Congregationi Emin. Cardinalium Sac. Trid. Concilii interpretum ſequentia quęſita pro reſolutione, videlicet.

## *Mutinen. Ordinationis.*

P*Rimo*: An Ordines Minores Fratri N.N. fuerint validè collati ab Abbate Monaſterii in quo erat factus oblatus?

*Secundo*; An etiam licitè?

*Tertio*; An dictus Frater N N. licitè receperit ab Epiſcopo Rhegienſi Ordines Sacros, cum litteris Dimiſſorialibus ejuſdem Abbatis, ad Titulum Religionis?

*Quarto*; An quatenus illicitè, eſſetque prædictus oblatus ſuſpenſus, & per exercitium Ordinum irregularis, eſſet ſecum diſpenſandum?

*Die*

*Die* 14. *Maii* 1689. Sacra Congregatio S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum reſpondit ad primum *Affirmativè*; Ad Secundum, & tertium *negativè*. Ad quartum, cenſuit, ſi SS.D. N. placuerit, poſſe per ejus Litteras in forma Brevis, Ordinario Mantuano committi; ut ſi, & poſtquam Oratori de ſufficienti Beneficio Eccleſiaſtico proviſum fuerit, & impoſita eidem pœnitentia ſalutari, pro ſuo arbitrio, & prudentia, cum eo ad exercitium Sacrorum Ordinum gratis diſpenſet.

A Cardinalis Columna Præfectus.
Loco ✠ Sigilli
A. Pallavicinus S. C.C. Secretarius.

## NOTA SEXTO.

JUxta diſpoſitionem Tridentini *Seſſ.* 23. *cap.* 7. *de Reform.* ac Decreti Clementis Octavi, omnes Regulares pro ſuſcipiendis Ordinibus, tàm Minoribus, quàm Sacris examinari debent ab Epiſcopo, ſuper idoneitate, & ſcientia. Quod ſi fuerint ab Epiſcopo Diœceſano reprobati, non poſſunt a ſuis Superioribus mitti ad alios Epiſcopos pro Ordinibus ſuſcipiendis, & ſi hoc faciant, Epiſcopus non Diæceſanus ſic eos Ordinans, a collatione Ordinum per

annum erit ſuſpenſus, & Ordinati, a ſuſceptorum, executione ſuſpenſi erunt quamdiù Epiſcopo Diœceſano videbitur. *ut Sac. Congreg. Concilii reſpondit Archiepiſcopo novi Regni Granatæ 14. Martii 1620. lib. 56. dec. pag.* 610. Sed ſi reiiciantur, debent recurrere per viam appellationis ad legitimum Superiorem. *ead. Sac. Congr. 23. Aprilis* 1604. *lib. Decret.* 55. *pag.* 859. Excipiuntur tamen ab hac generali regula Clerici Societatis Jeſu, pro quibus, ut dictum examen ſubire non teneantur, ultra expreſſum Privilegium Gregorii XIII. aliorumque Pontificum, ſupra præmemoratorum, adeſt ſequens Decretum Sac. Congregationis Concilii.

## *Mechlinien. Ordinationis.*

*Epiſcopus Mechlinienſis, per libellum a Sanctiſſimo remiſſum, oraculum Sac. Congregationis Concilii Tridentini exquiſivit ſuper jure examinandi, & ad Ordines promovendi Religioſos Societatis Jeſu, duplici dubio propoſito.*

### *Primum dubium.*

An Clerici Societatis Jeſu, Sacros Ordines ab Archiepiſcopo Meclinienſi ſuſceptu-

turi, debeant ſe ſubiicere examini, prout ceteri Regulares.

*Die 5. Julii 1681. Congregatio Concilii reſpondit negativè, niſi adſit conſuetudo in contrarium.*

## *Dubium Secundum.*

An Clerici Societatis Jeſu, habitantes in Diæceſi Mechlinienſi, Archiepiſcopo Ordinationem habente, poſſint extra Diæceſim Mechlinienſem Ordinari ab alio Epiſcopo in propria Diæceſi.

*Dicta die 5. Julii* 1681. *& 8. Maii* 1683. *Sacra Congregatio reſpondit affirmativè.*

In Urbe verò adeſt conſuetudo, ut Clerici dictæ Societatis duabus vicibus examinentur, nempe prima vice pro prima Tonſura, & quatuor Minoribus; & in Secunda pro tribus Sacris.

Et quia iidem Clerici, juxta Societatis Regulas, ante Solemnem profeſſionem, ad omnes Sacros, etiam Presbyteratus Ordines promoventur, Archiepiſcopus Limanus in Indiis, petiit declarari a Sacra Congregatione Concilii Tridentini, an dicti Patres in Sacris conſtituti, juxta indulta, & privilegia ejuſdem Societatis, & poſtea dimiſſi, ſeu ejecti, abſque Patrimonii, & Beneficii Eccleſiaſtici aſſignatione, ad pro-

priam ſuſtentationẽ competente,juxta Conſtitutionem Concilii Tridentini *Seſſ.* 25. *de Reform. cap.* 2. habeantur ut ſuſpenſi ab executione præfatorum Ordinum; & quatenus non ſint ſuſpenſi; An Religio teneatur illis providere de honeſto victu, ſaltem in redditu 40. aureorum, donec ſufficiens Beneficium fuerint aſſecuti, &c.

*Die* 11. *Februarii* 1662. *Sac. Congregatio reſpondit: Religioſos Societatis, poſt tria vota ſimplicia dumtaxat, vigore privilegiorum ejuſdem Societatis, dimiſſos, non comprehendi in Conſtitutione Urbani VIII. de Apoſtatis, & Ejectis.*

*Quo ad reliqua nihil innovandum.*

Super hoc Secundo quæſito, ad inſtantiam Sacerdotum a Societate Dimiſſorum, quamplurimæ diverſis temporibus emanarunt reſolutiones a dicta Sacra Congregatione, ſemper tamen uniformes, & contrarias ipſis recurrentibus; & ſignanter ſub die 28. Maii 1695. in qua duplici dubio propoſito; primo. An Georgio Vaccarino Ordinato Sacerdoti ad Titulum Religioſæ Paupertatis in Societate Jeſu, & deinde dimiſſo, debeatur congrua portio, ſaltem aureornm quatraginta annuorum. Secundo: An eidem ſint ſubminiſtranda alimenta, & ſumptus litis. Sac. Congrega-

ga-

gatio, ne fieret in Societate Jeſu turbatio, & ſtatûs ejuſdem immutatio, ita reſpondit. *Sacra Congregatio Eminentiſs.* S. R. E. *Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, juribus ab utraque parte deductis, maturè perpenſis, ad utrumque reſpondit, negativè.*

Et facta de præmiſſis ab Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo D. Pallavicino, dictæ Sac. Congregationis Secretario, relatione Sanctiſſimo Die 4. Junii 1695. Sanctitas ſua, favorabilem Societati ſententiam Sac. Congregationis approbavit, & mandavit, Vaccarinum, non eſſe amplius audiendum, ac in poſterum nihil innovandum. Tandem Benedictus XIII. in litteris in forma Brevis ſub die 14. Junii 1728. ſtatuit, & declaravit, Societatem Jeſu non teneri, nec obligatam eſſe ad ullam ſubminiſtrationem, ſivæ congruæ ſubſtentationis, ſive alimentorum, ſive alio quocumque titulo, & cauſa, illis faciendam, qui poſt biennium probationis, & Emiſſionem Votorum ſimplicium, extra dictam Societatem a ſuis Superioribus eiiciuntur, tametſi, dum in ea permanebant, ad Sacros, etiam Presbyteratus Ordines, ſine Beneficio Eccleſiaſtico, ac Patrimonio ad titulum Religioſæ paupertatis promoti fuerint.



Digitized by Google

## NOTA SEPTIMO.

QUo ad Exercitia Spiritualia, quamvis Conſtitutio Alexandri VII. nullam faciat mentionem de Regularibus, ſed tantummodò loquatur de Clericis Sæcularibus, Attamen præter epiſtolas Encyclicas Venerabilis ſervi Dei Innocentii Papæ XI. ſub Die 9. Octobris 1682. per Organum Sac. Cengregationis Epiſcoporum, & Regularium, & S. M. Clementis XI. ſub Die prima Februarii 1710. per Organum Sac. Congregationis Concilii expeditas, & ad omnes Epiſcopos Italiæ, & Inſularum adiacentium directas; in Urbe antiquiſſima extat conſuetudo, quod quilibet ex Regularibus promovendis præmittere teneatur Exercitia Spiritualia decem dierum, ante ſuſceptionem cujuslibet ex Sacris Ordinibus, exceptis Patribus Societatis Jeſu, qui vigore ſuorum Privilegiorum Apoſtolicorum, dictis Exercitiis, decem dumtaxat dierum ſpatio pro tribus Sacris Ordinibus vacant.

## NOTA OCTAVO.

CIrca Ætatem. Quamvis nonnulli Regulares, antiquitus a Summis Pontificibus privilegia obtinuerint, ut ejus Mona-

nachi, vigeſimo ſecundo ætatis anno, Sacerdotes fieri poſſent, fuerunt tamen hæc privilegia abrogata, & de medio ſublata per Concilium Tridentinum *in cap.* 12. *ſeſſ.* 23. *de Reform.* atque adeo non poſſunt amplius ante ætatem a Trident. Synodo præſcriptam, ope veterum privilegiorum ad Sacros Ordines promoveri, ut luculenter demonſtrat Paſſarin. *de ſtat. hom. tom.* 3. *qu.* 189. *art.* 10. *inſpect.* 10. *n.* 841.

## *NOTA NONO.*

Congregatio Miſſionis, quamvis non cenſeatur in numero Ordinum Religioſorum, ſed ſit de corpore Cleri Sæcularis, ipſiuſque propterea Clerici, non ſint Regulares, tamen in omnibus exempti omninò ſunt a ſubiectione Locorum Ordinariorum (excepto quoad Miſſiones, & ea, quæ illas concernunt) & promoventur ad omnes, etiam Sacros, & Presbyteratus Ordines cum Dimiſſoriis ſuorum Superiorum, in vim Conſtitutionum Apoſtolicarum fel. rec. Urbani VIII. & Alexandri VII. editarũ de anno 1632. & 1655. Et cum de anno 1657. tempore, quo Cardinalis Ginnettus munus Vicarii dicti Alexandri VII in Urbe exercebat, non obſtantibus, dictis Conſtitutionibus, ab illius Audi-

ditore, difficultas ſuper hoc ultimo puncto propoſita fuiſſet; de mandato ejuſdem Cardinalis Vicarii, habita fuit particularis Congregatio, coram qua, propoſito dubio in forma, ſcripturiſque tunc exhibitis, ad eorumdem Miſſionariorum favorem capta fuit reſolutio, & ita ab eo tempore, praxis concedendi Litteras Dimiſſoriales hujuſmodi confirmata fuit. Verùm cum nonnulli tranſmontani Epiſcopi, quibus non benè reſolutio hæc innotuerat, predictam facultatem admittere recuſarent, ideo, ut de cetero hac in re quæcumque difficultas removeretur; ad inſtantiam D. Joannis Bonnet Superioris Generalis Præsbyterorum ſæcularium dictæ Congregationis, Benedictus Papa XIII. facultatem Superioribus ejuſdem Congregationis concedendi Litteras Dimiſſoriales ſuis Subditis, ubicumque exiſtentibus, prout illis competiiſſe reſolutum fuit, adhuc de præſenti competere, Apoſtolica auctoritate, declaravit; prout ex litteris in forma Brevis, expeditis ſub die 17. Septembris 1725.

Et quia vota ſimplicia a ſupradictis Clericis emiſſa, diſſolvi poſſunt à ſummo Pontifice, ac etiã à Superiore Generali Congregationis in actu dimiſſionis tantùm; Hinc

ne

ne in hujuſmodi eventu remaneant abſque titulo, atque adeò cogantur mendicare, cum dedecore ordinis, non conceduntur ipſis à Superiore litteræ dimiſſoriales prò ſuſcipiendis Sacris Ordinibus, niſi prius de Ecccleſiaſtico beneficio, perſonalem reſidentiam non requirente, ſeù patrimonio ad congruam ſuſtentationem ſufficientibus, quemadmodum in Conſtitutionibus ejuſdem Congregationis præſcribitur, fuerint proviſi; Hujuſmodi autem beneficium, ſeù patrimonium (de quibus expreſſa mentio in dictis Dimiſſorialibus fieri debet) approbari priùs debet ab eorum reſpectivè Ordinariis, & recognoſci à dictæ Congregationis Viſitatore.

At cum experientia compertum fuerit, nonnullis in Regionibus, etiam Italiæ, aliarumque provinciarum, aliquando quam plurimos, non ignobili quoque loco natos, alioſque optimæ indolis, & bonæ expectationis adoleſcentes, Congregationem hujuſmodi ingredi cupientes, indè excluſos fuiſſe, & excludi, quod neque patrimonium, neque beneficium Eccleſiaſticum habeant, atque indè evenire, quod nonnullis in locis, Presbiteri in Congregationem prædictam recepti, & admiſſi, ad ejus Congregationis miniſteria, prout inſti-

ſtituti ratio poſtulat , obeunda , quam pauci interdùm Reperiantur . Ea propter ad inſtantiam moderni Superioris Generalis præmemoratæ Congregat ionis, Sanctiſſimus Dominus noſter BENEDICTUS XIV. in literis Apoſtolicis in forma Brevis ſub die 5. Aprilis anni 1744. expeditis; benignè indulſit ut infra : Sunt verba Brevis: *Eidem moderno, & pro tempore exiſtenti Superiori Generali dictæ Congregationis Miſſionis, ut Alumnos, ſeu Clericos in ipſam Congregationem deinceps recipiendos , & admittendos , ſiquidem ſint Hibernenſes , ſivè ex aliis Regnis , & Regionibus, Ortodoxam inter hæreticos religionem profitentes , inde exteros , & exules , recipiendi , & ad omnes Sacros , & presbyteratus etiam Ordines ubicumque locorum , ſine patrimonio , vel Beneficio Eccleſiaſtico ( prout alias ad tempus facultas hujuſmodi conceſſa fuit ) ad titulum Menſæ communis promoveri faciendi ; ſi verò ſint ex Regno Poloniæ , aut Hungaria , ac præſertim Strigonia , aut Moravia , & Sileſia , qui ibi etiam recipi , & admitti dumtaxat debent , eoſdem ſive nobiles , ſivè ignobiles , ut omne inpoſterum diſcrimen , & diſſidium auferatur , etiam ſine Patrimonio , aut Beneficio Eccleſiaſtico recipiendi , & admittendi , & ad omnes Sacros,*

*cros, ac etiam Præsbyteratus Ordines pariter promoveri faciendi: Si tamen reperiantur aliqui ex aliis Regnis, & Provinciis, etiam Italiæ, qui ſine Patrimonio, vel Beneficio Eccleſiaſtico, in eamdem Congregationem Miſſionis recipi, & admitti, ac Sacris Ordinibus initiari cupiant, eos tunc dumtaxat, & non aliter, cum in iis locis, ubi domus dictæ Congregationis Miſſionis, Alumnorum, & Clericorum penuria ita laborant, ut ſolitis, debitiſque inſtituti ſui Miniſteriis minime ſatisfacere, nec alios ex aliis ejuſdem Congregationis Domibus in ſubſidium operarios habere poſſunt, & ex receptione, atque admiſſione hujuſmodi cum licentia moderni, & pro tempore exiſtentis Superioris Generalis ſemper facienda, adhibitis omnibus neceſſariis, & opportunis diligentiis, evidens, quantum coniectari licet ob ſpectatam, probatamque Adoleſcentis recipiendi, & admittendi indolem, pietatem, atque Doctrinam, utilitas, in eamdem Congregationem Miſſionis redundare videtur, admittendi, recipiendi, & ad omnes Sacros, atque Presbyteratus Ordines ſine Patrimonio, vel Beneficio Eccleſiaſtico ab Ordinario illius Domus Congregationis hujuſmodi, in qua commorabuntur, aut cum opportunis literis Dimiſſorialibus, à quocumque,*

*que,*

*que*, *quem maluerint* Catholico *Antiſtite*, *gratiam*, & *communionem Sedis Apoſtolicæ habente*, *in propria Diæceſi reſidente*, *vel in aliena,de conſenſu* Diaceſani *loci* Pontificalia *exercente,ſi ad id aliás idonei reperiantur, ad Titulum Menſæ communis ipſius* Congregationis,*ſervatis alias ſervandis, promoveri*, & *promotos in illis etiam in Altaris Miniſteriis liberè*, & *licitè miniſtrari faciendi,auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium facultatem concedimus*, & *impertimur*, *ita tamen ut ſi aliquando contingat*, *ut ad prædictos* Ordines Sacros *promoti ad hujuſmodi Menſæ communis Titulum, dimittantur*, *vel recedant á dicta* Congregatione,*etiam prævia legitima diſſolutione, juxta memoratas literas noſtras die* 18. *Septembris anno* 1742. *expeditas*, *et non aliter facienda votorum in ea emiſſorum*, *ipſi eo ipſo remaneant ſuſpenſi ab exercitio ſuorum ordinum*, *donec coſtare fecerint* Ordinariis *locorum*, *ſub quorum juriſdictione fuerint*, *ſe aliunde commodè vivere poſſe*; *nec proinde ſæpedictam* Còngregationẽ *Miſſionis,ejuſque* Superiores *a die dimiſſionis,ſeu receſſus cujuſlibet* Clerici, *ſeu* Presbyteri, *ita*, *ut præmittitur*, *ſine* Patrimonio, *vel Beneficio Eccleſiaſtico ad Titulum Menſæ communis initiati, teneri*, *nec obligatam eſſe*

ad

*ad ullam ſubminiſtrationem , ſive congruæ ſuſtentationis , ſive alimentorum , ſive alio quocumque Titulo , et cauſa, illis faciendam ſtatuimus , et declaramus ;*

Inſuper Clerici dictæ Congregationis, dum ad Sacros Ordines promoventur in Urbe, non tenentur præmittere publicationes in Baſilica S. Joannis in Laterano, multoque minus in propria Parochiali Eccleſia, vigore Decreti Sacræ Congregationis Concilii ſub die 17. Aprilis 1728. Quod Decretum in forma autentica aſſervatur in libro Decretorum dicti anni, in Secretaria Tribunalis.

## *NOTA DECIMO.*

SImiliter Patres Congregationis Oratorii de Urbe , ac etiam Neapolis , licet de numero Presbyterorum Sæcularium cenſeantur , & revera ſint tales , habent nihilominus Indultum , quo promoveri facere poſſunt ad quoſcumque Ordines, ſuos Alumnos à locorum Ordinariis, in quorum Diæceſi habent Domicilium, abſque literis Dimiſſoriis Epiſcoporum originis; ſic enim declaratum fuiſſe *à Sacra Congregatione Concilii anno 1604. lib. 55. dec. pag.* 575. referet Monacel. *form. leg. tom. 2. tit.* 13. *num.* 41. Cui Decreto non videtur de-

rogatum per Conſtitutionem Innocentii XII. *Speculatores*, quia lex generalis numquam cenſetur compræhendere caſum privilegiatum, & Specialem, per *text. in c. cum Ordinem. et. cap. Abbatem* 40. *ubi gloſ. verb. per litteras de reſcipt.* Gonzal. *ad reg.* 8. *Cancell. gloſ.* §. 2. *num.* 6. Rot. *coram Peutinger. dec.* 354. *num.* 10. cum aliis allegatis. Hoc antem indulto Patres Oratorii de Urbe non utuntur, nec unquam uſi fuere, ſed ſemper eorum Clerici promoti ſunt, cum litteris Dimiſſorialibus Epiſcoporum originis, ad Titulum Beneficii, reſidentiam perſonalem non Requirentis, ſeu Patrimonii, ab iiſdem Epiſcopis approbat., & uti de cætu Presbyterorum Sæcularium tenentur præmittere publicationes in Sacroſancta Lateranen. Baſilica, & in propria eorum Eccleſia, non autem in Parochiali, & hoc de ſtylo, & antiquiſſima conſuetudine, fundata in Coſtitutionibus Apoſtolicis Summorum Pontificium Gregorii XIII. ſub die 15. Septembris 1578. & Gregorii XV. ſub die 22. Aprilis 1622., in quibus Eccleſia dictorum Patrum Sanctæ Mariæ in Vallicella, omninò eximitur ab omni, & quocumque Jure, & ſubiectione Parochialis Eccleſiæ, ad iſtar Eccleſiarum Regularium.

NO-

## NOTA VNDECIMO.

PAtres Congregationis Doctrinæ Chriſtianæ de Urbe, qui pariter ſunt de corpore Cleri Sæcularis, promoventur nihilominus ad Ordines, abſque litteris dimiſſorialibus ſuorum Ordinariorum, vigore ſequentis Decreti Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium: *Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium propoſita, attentis narratis &c. cenſuit tribuendam eſſe facultatem Emo Vrbis Vicario, prout præſentis Decreti vigore benignè tribuit, & concedit promovendi pro ſuò arbitrio, & prudentia ad Sac. Ordines Clericos prædictæ Congregationis ad formam Decreti maturè facti ſub die 17. Februarii 1645. & non aliter, nempe, quos moribus, & Doctrina idoneos repererit, cum aſſignatione ſcutorum quadraginta in victu, & veſtitu, ab eadem Congregatione ſingulis præſtandorum &c. & quatenus in eadem Congregatione per Sexennium ſteterint, etiam abſque litteris Dimiſſorialibus ſuorum Ordinariorum, ita tamen, ut ab obedientia prædictæ Congregationis recedentes, ab exercitio ſuorum Ordinum, arbitrio Sacræ Congrega-*

V *tio-*

*tionis ſint ſuſpenſi. Romæ 16. Julii 1706.*

Et vigore Brevis Sanctæ Mem. Clementis XI. ſub die 28.Septembris 1716. Novitii dictæ Congregationis, poſt probationis annum, votum ſtabilitatis, & perſeverantiæ emittere tenentur, cujus voti diſpenſatio reſervata eſt Summo Pontifici, & quatenus à dicta Congregatione,ſine diſpenſatione hujuſmodi egediantur, ab exercitio Sacrorum Ordinum remanent ſuſpenſi, non ſolùm quando voluntariè, & liberè ab eadem Congregatione diſcedunt, ſed etiam quando à Superioribus dimittuntur.

Ex præmiſſis igitur infertur ſupradictos Clericos, ad hoc ut ad Sacros Ordines promoveri valeant, debere obtinere litteras Dimiſſoriales à ſuis Superioribus, Emo Urbis Vicario directas, in quibus expreſſa mentio habeatur de aſſignatione jam facta ſcutorum quadraginta in victu, & veſtitu,ab eademCongregatione præſtandorum, ac inſuper per ſexennium, in eadem Congregatione ſteterint, ac votum perſeverantiæ, & ſtabilitatis emiſerint.

At hodie Clerici dictæ Congreg. etiam poſt novitiatum, etiam ſi in Congregatione non ſteterint per ſexennium promoveri poſſunt vigore infraſcriptiDecreti Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regu-

gularium: *Eminentiſſimo, e Reverendiſſimo Signore: Il Propoſto Generale, e Definitori della Dottrina* Criſtiana *di Roma, Umiliſſimi Oratori dell'EE. VV. riverentemente eſpongono, come li* Chierici *di detta* Congregazione, *ſi* Ordinavano *in Sacris doppo il Noviziato ſecondo la neceſſità della* Congregazione, *in tempo, che da eſſi facevaſi il voto di perſeverenza. Ma perche detto voto dall' anno* 1700. *reſtò annullato ſino all' anno* 1716., *Coteſta Sagra* Congregazione *ſotto li* 16. *di Luglio* 1706. *nel Decreto dell' ordinazione di detti* Chierici *appoſe la clauſula:* quatenus in ipſa Congregatione per ſexennium ſteterint. *Ora eſſendoſi riſtabilito il voto di perpetua perſeveranza, confermato per Breve di Noſtro Signore ſotto li* 28. *Settembre* 1716. *Li* Oratori *umilmente ſupplicano l'EE. VV. della grazia, che li detti* Chierici *ſi ordinino anche doppo il Novitiato, come ſi uſa nelle altre* Congregazioni, *e Religioni, e ſi è coſtumato ancora per il paſſato nella* Congregazione *dell'*Oratori. *Primo perche adeſſo fanno il voto di perpetua perſeveranza. Secondo perche alle volte ſi trovano in detta* Congregazione Chierici *di* 28. *e* 30. *anni. Terzo perche anno gran neceſſità di provedere le loro caſe di Sacerdoti: Quarto perche ſpeſſo ſono ricorſi, ed hanno* otte-

*ottenuto da coteſta Sacra Congregazione la diſpenza di detto ſeſſennio per alcuni Chierici, benche non aveſſero il voto: ſotto li 5. Marzo 1716. e ſotto li 20. Gennaro 1719.* Che della grazia &c. Sacra Congreg. *Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum S.R.E.* Cardinalium *negociis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita, attenta Relatione Emi Urbis Vicarii, ac veris exiſtentibus narratis, cenſuit tribuendam eſſe facultatem Eminentiæ Suæ, & Vicario pro tempore, prout præſentis Decreti vigore benignè tribuit, et concedit, durante tamen voto perſeverantiæ in dicta* Congregatione, *promovendi pro ſuo arbitrio, et prudentia ad Sac.* Ordines Clericos *præfatæ* Congregationis, *ad formam Decreti maturè æditi ſub die 17. Februarii 1645. Et non aliter, nempè quos moribus, et Doctrina idoneos, repererit ad Titulum præfatæ* Congregationis, *nempe cum aſſignatione ſcutorum quadraginta in victu, et veſtitu ab eadem* Congregatione *ſingulis annis præſtandorum, promoveat, et quatenus in memorata Congregatione in perpetuum, ut ſupra, perſeveraverint, etiam abſque litteris Dimiſſorialibus ſuorum* Ordinariorum; *Ita tamen ut ab obedientia præfatæ* Congregationis *recedentes, ſint ab exercitio Sac.* Ordinum *arbitrio* ejuſ-

*ejuſdemmet Sac. Congregationis ſuſpenſi ; Romæ die 9. Auguſti 1720.*

Non eximuntur tamen prædicti Clerici à publicationibus, quas, uti de cætu Presbyterorum Sæcularium, facere debent, tàm in Sacroſan. Lateranen. Baſilica, quam in propria Parochiali Eccleſia, ad formam Conſtitutionis S. M. Alexandri VII.

## *NOTA DUODECIMO.*

PAtres Congregationis Piorum Operariorum, cum pariter cenſeantur ; & revera ſint, de cætu Persbyterorum Sæcularium, nec ullum habeant Privilegium, quod mihi conſtet, promoveri debent, ut de facto proventur, cum litteris Dimiſſorialibus ſuorum Ordinariorum, ad Titulum Beneficii, vel Patrimonii, ac præviis ſolitis publicationibus, ut ſupra.

## *NOTA DECIMOTERTIO.*

FRatres Ordinis S. Jo: de Deo, ad Sacros Ordines aſcendere prohibentur, ex Brevi Clementis VIII. ſub die 9. Septembris 1596. At Paulus V. per literas pariter in forma Brevis, ſub die prima Julii 1609. conceſſit, quod in qualibet Domo, ſeu Conventu dicti Ordinis, Congregationis Italiæ, unus Religioſus dumtaxat

arbitrio Protectoris, ad omnes, etiam Sacros & Presbyteratus Ordines, ad Titulum Hoſpitalitatis promoveri poſſet, dummodò ante ſex annos ſaltem, ſupradicti Ordinis Regulam profeſſus fuerit, & cum expreſſa lege, quod ſic promotus, nullum officium, & adminiſtrationem in Religione gerere, aut exercere poſſit. Tandem Urbanus VIII. ſub die 18. Aprilis 1628. per ſimiles literas decrevit, quod ad Ordines promoveri non poſſint, niſi prius ab Examinatoribus Synodalibus, non ſolùm ad Ordines prædictos, verùm etiam ad Sacras Confeſſiones audiendas examinati, & idonei reperti fuerint, & neceſſarias ſuper hoc Patentes literas ab eiſdem Examinatoribus obtinuerint.

## *NOTA DECIMOQUARTO.*

**ERemitæ, ſint Romani, vel Exteri, etiamſi Beneficium congruæ ſuſtentationis poſſideant, ac literas dimiſſorias a ſuis ordinariis obtinuerint, nunquam, dum habitum Eremiticum deferunt admittuntur, nedum ad Minores, & Sacros Ordines, ſed nec ad ipſam primam Tonſuram, niſi dimittant habitum, & induant habitum Clericorum Sæcularium, ſaltem ſic practicatur in Urbe.**

NO-

NOTA DECIMOQVINTO.

ET quia ſub nomine Regularium veniunt etiam Abbates, qui præſunt Monaſteriis, & habent ſub ſe Monachos, operæ pretium eſt, etiam de his aliqua hìc delibare circa Ordinationem ſuorum ſubditorum; ſed ut rem ea, qua decet methodo exordiar, præmittendum eſt, duo eſſe genera Abbatum, ſiquidem alii ſunt Abbates Sæculares, & alii Regulares. Barboſa *de Jure Eccleſ. Univ. lib.* 1. *cap.* 17. *n.*17. Sæculares Abbates illi ſunt, qui Beneficia Sæcularia obtinent, Abbatias appellata; & ſi verè, & propriè ſint Beneficia Parochialia, aut etiam ſimplicia, cum hoc nomine; & de his teſtatur Barboſa ut ſupra *num.* 19. complures extare in Hiſpania, & in Regno Luſitaniæ; in Urbe verò, & in Regno Neapolitano, omnes digniores Clerici hoc honorario titulo decorantur; unde fit, ut rariſſimi ſint Abbates Sæculares, quibus verè competat nomen Abbatis. Illud tamen eſt verum, quod non pauci ſunt Abbates Sæculares Commendatarii, qui obtinent Monaſteria ab Apoſtolica Sede in Commendam.

Regulares Abbates ſunt illi, qui præſunt Monaſteriis, habentque ſub ſe Mona-

chos, & hi ſunt in triplici differentia: alii enim ſunt tantummodo exempti a juriſdictione Ordinariorum, & Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiecti, quique dicuntur habere exemptionem paſſivam ab Epiſcopo cum corpore Monaſterii, ſeu Eccleſiæ, ut ſunt omnes Abbates Lateranenſes, Caſinenſes, Camaldulenſes, Olivetani, & conſimiles, qui præſunt ſuis Monaſteriis in Civitatibus, & Diæceſibus Epiſcopalibus: Alii Majoris juriſdictionis, ac mediæ prærogativæ, qui habent juriſdictionem etiam activam in Populum, & Clerum certi loci; ſed ſunt in Diæceſi ac Territorio Epiſcopi, a cujus Diæceſi locus ille non dicitur avulſus, ac abſciſſus. Alii denique ſpeciei magis conſpicuæ, qui non ſolùm gaudent prædicta exemptione, ſed ſunt etiam Prælati Ordinarii, habentes juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in Clerum, & Populum, cum territorio ſeparato, omnino abſciſſo, ac diſmembrato, ſeu avulſo a Diæceſi, quæ qualitas facit verè Prælatum nullius Diæceſis, & poſſunt omnia, quæ ſpectant ad juriſdictionem Epiſcopalem. Tales ſunt Abbates Montis Caſini, Trinitatis de Cava, S. Pauli de Urbe, & alii plurimi, quos recenſet Barboſa *d. lib.* 1. *cap.* 17. *num.* 22. & hi, quam-

vis

vis eorum Monaſteria, oppida, & Populi ſint in aliqua Diæceſi, & intra confines unius, vel plurium Epiſcoporum, dicuntur non eſſe in Diæceſi, neque de Diæceſi, ad differentiam Abbatum Regularium exemptorum tantummodo, qui & ſi cenſeantur non eſſe de Diæceſi, quia non ſunt ſubiecti Epiſcopo, niſi in aliquibus caſibus, præcipuè concernentibus curam Animarum: tamen dicuntur eſſe in Diæceſi, prout loquitur Tambur. *de Jure Abb. Deciſ.* 45. *&* 46. Hæc autem exemptio una cum Clero, Populo, & territorio ſeparato, non proficiſcitur a jure communi, ſed a privilegio particulari Pontificio, quod ultra prædictos Abbates obtinuerunt etiam alii Prælati inferiores; ſub nomine enim Prælatorum inferiorum Epiſcopis, non ſolùm veniunt Abbates, ſed etiam Præpoſiti, Archipresbyteri, Priores, Archimandritæ.

Ut autem Abbates ſint habiles ad conferendam primam Tonſuram, & quatuor Minores Ordines, requiritur, ut ſint Sacerdotes, & habeant ſub ſe ſubditos; & dicta poteſtas provenit Abbatibus ex Indulto, hinc fit, quod ſi Epiſcopus prohibeatur a Papa conferre Ordines, & conferat, imprimit Characterem, & validè ordinat, & ſi illicitè, ſecus Abbates, etiam ſi ſint benedicti.

His

His ita præmiſſis, ac prænotatis, ſi quæramus, quam poteſtatem Abbeant Abbates circa collationem primæ Tonſuræ, & minorum ordinum? ( Sacros enim Ordines conferre non poſſunt ) diſtinguere oportet Abbates Sæculares, ab Abbatibus Regularibus; nec non Abbates Regulares ſimpliciter exemptos, ab Abbatibus non ſolùm exemptibus, ſed etiam omnimodam Juriſdictionem Epiſcopalem exercentibus in Clero, & Populo, ac Territorium habentibus ſeparatum. Abbates Sæculares primi generis, de quibus diximus ſupra, qui, vel ſunt nomine tenùs; vel aliquod Beneficium Eccleſiaſticum, Abbatiam appellatam poſſident, niſi habeant ſpeciale Indultum ab Apoſtolica Sede poſt Tridentinum obtentum, nullo modo poſſunt Clericos tonſurare, vel in minoribus ordinare, quia de jure canonum, talis facultas conceſſa erat Abbatibus Regularibus tantùm, non etiam Abbatibus Sæcularibus; & hi ſi per Privilegium Apoſtolicum, vel ex præſcriptione, aut conſuetudine, etiam immemorabili, talem poteſtatem olim acquiſiviſſent, nunc eis eſt ablata per Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 23. *Cap. X.* dum illam ibi reſervavit pro ſolis ſubditis Regularibus.

Quo

Quo verò ad Abbates ſecundi generis, nempe ad Prælatos Monaſteriorum ſimpliciter exemptos, qui non omnimodam exercent juriſdictionem Epiſcopalem, ſed tantùm præſunt Perſonis ſubditis ſuis Monaſteriis, manifeſtum eſt ex hucuſque dictis, quod attento Decreto Concilii Tridentini *in cit. ſeſſ.* 23. *cap.* X. ſi ſint Presbyteri, poſſunt quidem Tonſuram, & Minores Ordines conferre, ſed ſubditis ſuis Regularibus tantùm, & non aliis, tàm Sæcularibus ad eos accedentibus, cum ſpecialibus Dimiſſorialibus ſuorum Epiſcoporum, quàm Regularibus aliorum Conventuum, ad illos expreſſe miſſis ab eorumdem Ordinandorum Superioribus, juxta ſequentem magiſtralem declarationem Sac. Congregationis Concilii ab Urbano VIII. approbatam, quam per extenſum ponit Pignattellus *tom.* 1. *Conſul.* 366. *num.* 1. hujuſmodi tenoris.

## *Catanien.*

„ DIe 13. Novembris 1641. Sac. Con-
„ gregatio Eminentiſſimorum Car-
„ dinalium Concilii Tridentini interpre-
„ tum, utraque parte informante ore, &
„ ſcriptis, ac rationibus hinc inde dedu-

„ ctis

„ ctis, mature Examinatis, inherendo De-
„ ciſioni Rotæ Romanæ ſub die 27. Apri-
„ lis 1592. coram B. M. Cardinale Sera-
„ phino, de ordine felicis recordationis
„ Clementis Papæ Octavi factæ, neenon
„ declarationibus ejuſdem Sacræ Congre-
„ gationis, dictæ Deciſioni conformibus
„ ſubſecutis; cenſuit improbata opinio-
„ ne contraria, Abbates Regulares Bene-
„ dictinos ejuſdem Congregationis Caſi-
„ nenſis, ſeu alterius Congregationis, vel
„ Ordinis, aut Inſtituti, habentes etiam
„ jura Epiſcopalia, uſumque Mitræ &
„ Baculi, & benidicendi, ac facultatem
„ primam Tonſuram, & Minores Ordi-
„ nes conferendi, non poſſe dictam Ton-
„ ſuram, vel Minores Ordines, niſi ſuis
„ Subditis Regularibus, conferre, non
„ autem Regularibus alterius Congrega-
„ tionis, Ordinis, vel Inſtituti, etiam ſi
„ habeant Litteras Dimiſſorias Superio-
„ rum ſuorum Regularium, & conſen-
„ ſum Ordinariorum, intra quorum Diæ-
„ ceſum fines, ipſi Regulares Ordinandi
„ exiſtunt: & multo minus perſonis Sæcu-
„ laribus, etiam habentibus literas Dimiſ-
„ ſorias a ſuis Ordinariis. At propterea
„ inhibet Archiepiſcopis, Epiſcopis, &
„ aliis Prælatis inferioribus, tàm Sæcula-
ri-

„ ribus, quàm Regularibus, ut in futu-
„ rum concedere non audeant ſupradictas
„ Literas Dimiſſorias hujuſmodi Abbati-
„ bus directas, nec ab iſtis recipi. Quod
„ ſi ſecùs fiat, tam concedentes, quàm or-
„ dinantes a collatione Ordinum ſuſpenſi
„ remaneant; præter alias pœnas arbitrio
„ ejuſdem Sacræ Congregationis reſer-
„ vatas.

„ Quam Declarationem S. D. N. Urba-
„ nus VIII. die 17. Januarii 1642. ad ſe
„ delatam approbavit, & inviolabiliter
„ obſervari juſſit.

*Petrus Aloyſius Card. Caraffa.*
*Franciſcus Paulutius S. R. C. Secr.*

Sed dices; ſi de facto aliquis Prælatus inferior, contra tenorem prædictæ Declarationis Catanienſis præſumat ordinare alienos ſubditos, ſive Sæculares, ſive Regulares habentes Dimiſſorias a ſuis Epiſcopis, vel Superioribus, Ordinatio eritne tantum illicita, vel etiam irrita, & invalida? Hoc dubium diffusè examinatur a Fagnano *in cap. ſtatuimus de Supplen. neglig. Prælat. a n. 11. uſque in fine* ubi vocat illud difficile ob diverſa reſponſa, quæ ad illud dedit Sacra Congregatio, quæ ad invicem videntur pugnare, cum aliquando reſponderit, Ordinationes fuiſſe irritas,

& in-

& invalidas, & ideo reiterandas; & aliquando dixerit characterem fuiſſe impreſſum, & ordinationes validas, & ſi tantùm illicitas, ut apud eumdem Fagnanum *ibidem num.* 12. 13 *et* 14. Cæterum hac diſtinctione ſubdit ipſe, eſſe dubium reſolvendum. Vel Prælatus inferior, qui ordinat alienos ſubditos cum Dimiſſoriis, non habet ſub ſe ſubditos proprios Regulares? Et in hoc cauſa ordinatio eſt irrita, nulla, & invalida; quia cum Tridentinum Concil. abſtulerit omnia Privilegia Abbatum, & Inferiorum Prælatorum, non habentium ſubditos regulares circa collationem Tonſuræ, & minorum Ordinum, prædicti Prælati, qui non habent ſubditos Regulares carent omninò poteſtate ordinandi, & ſic ſi Ordines conferant, nihil faciunt, & ordinatio eſt irrita. At ſi ſubditos habent Regulares, & præſumant ordinare ſubditos alienos cum Dimiſſoriis contra declarationem Sacræ Congregationis vel ſubditos ſuos Sæculares contra Decretum Concil. Trid. *d. ſeſ.* 23. *cap.* 10. Quia in hoc caſu non carent poteſtate ordinandi, & ſi illam reſtrictam habeant ad ſuos Regulares Subditos, nihilominus in hoc caſu validè ordinant, & imprimunt characterem; ſed ob defectum juriſdictionis il-

illicita eſt ordinatio, & ſubiacet ſuſpenſioni. Hoc probat Fagnanus ibidem pluribus rationibus, & auctoritatibus Doctorum.

Reſtat loquendum de ultimo genere Abbatum, illorum ſcilicet, qui non ſolum ſunt exempti à Juriſdictione Epiſcopi, ſed etiam habent omnimodam juriſdictionem Epiſcopalem in Clerum, & populum, cum Territorio ſeparato, & vocantur Ordinarii, & Diæceſani in ſua Abbatia. De his igitur etiam diſputatur, & dubitatur, an poſſint dare Tonſuram, & minores Ordines omnibus ſuis Subditis, tàm Regularibus, quàm Sæcularibus, & iiſdem omnibus concedere Dimiſſorias, ut à quocumque Catholico Antiſtite, etiam ad Sacros Ordines promoveantur.

Fagnanus *in cap. Significaſti à num.* 12. *& ſeqq. de offic. Archidiaconi tom.* 2. Tractat hoc quæſitum in virga ferrea, & poſt multas diſtintiones, & inductiones ſub *num.* 24. deducit, quod *nullus Prælatus Inferior Regularis, aut Sæcularis hodiè reperitur, cui liceat Tonſuram, & minores Ordines conferre Perſonis Sæcularibus, tametſi omnimodam juriſdictionem ordinariam, & quaſi Epiſcopalem, ac etiam temporalem habeant in Clerum, & populum, excluſis*

*Epiſcopis; Et ſive illorum Territorium ſit intra fines alicujus Diœceſis, ſivè extra*, & quod nulla ſuffragari poſſit qualitas nullius, ne dimiſſoriales a viciniori Epiſcopo concedantur, nulla præſcripto, neque quadragenaria cum titulo colorato, neque immemorabilis, ſed requiritur Privilegium Apoſtolicum ſpeciale poſt Concilium Tridentinum prout obtinuere Abbates nullius Caven. Montis Caſini, Farfen. Nonandulan.

Sed contra hanc Doctrinam Fagnani plura ſunt argumenta, quæ ſuadent poſſe prædictos Abbates dare dimiſſorias ad Ordines, tàm Minores, quàm Majores Clericis Sæcularibus ſibi, ut ſupra ſubiectis. Hæc autem ſunt.

Primo Deciſio Rotæ *coram Emo Card. Octhobono*, qui fuit Alexander Papa VIII. *In una Avellina Juriſdictionis* 4. *Julii* 1646. Inter ejus impreſſas *deciſ.* 82. *num.* 11. *et* 12. Ubi tenet, quod Abbatibus habentibus plenam juriſdictionem Epiſcopalem in Clerum, & Populum, ac Territorium ſeparatum, non obſtat Decretum Concilii Trid. *ſeſſ.* 23. *cap.* 10. Quia ſunt Ordinarii, & Diœceſani in ſua Abbatia, & ſic poſſunt dare Dimiſſorias ad Ordines etiam ſuis Subditis Sæcularibus.

Se-

Secundo. Alia Deciſio Rotæ, equidem magiſtralis, in *Cavenſi Collationis Ordinum. 26. Junii 1655. Coram R. P. D. Veroſpio*, quam ponit per eſtenſum Pignattellus *tom. 8. conſult. 59. à num. 9. et ſeqq.* In qua deciſum fuit, Sacrum Monaſterium SS. Trinitatis Cavenſe, habere proprium Territorium, nullius Diæceſis fore, Abbatem illum omnimodam juriſdictionem Epiſcopalem poſſidere; & ideo Litteras Dimiſſoriales concedere, & minores Ordines conferre omnibus ſuis Subditis, etiam Sæcularibus poſſe.

Tertio. Reclamatio RR. PP. Cartuſianorum, quibus cum fuiſſet prohibitum a Sacra Congregatione Epiſcoporum, & Regul. die 21. Februarii 1631. ne Prior S. Stephani de Boſco daret Dimiſſorias Clericis Sæcularibus ſibi ſubditis ad Ordines, ipſi oſtenderunt, Prioratum illum, eſſe exemptum, habere Territorium ſeparatum, & omnimodam Epiſcopalem Juriſdictionem. Quibus attentis, eadem Sacra Congregatio *die 18. Junii 1632.* revocavit prohibitionem, & admiſit tanquam juridicam earumdem litterarum Dimiſſorialium conceſſionem. Ita Tamburin. *de Jure Abb. tom. 2. Diſp. 2. quæſt. 26. num. 3.*

Denique advertendum, quod omnes Ab-

X ba-

bates, quamvis non ſint benedicti, dummodo habeant a Sede Apoſtolica Privilegium, ut poſſint facere ea omnia, quæ poſſunt Abbates benedicti, poſſunt ſuis ſubditis Tonſuram, & minores Ordines conferre, in ſui Ordinis Monaſteriorum, Eccleſiis, & limitibus, ut ex variis reſolutionibus Sac. Congregationis, quas refert Eminentiſſimus Petra *in Commentar. ad Conſtitutionem 9. Pii II. Pag. 172. num. 31. et ſeqq.*

CA-

Digitized by Google

# CAPUT DECIMUM-TERTIUM.

## Orientales cujuſcũque Catholici Ritús, etiam latini, ut ad quoſcumque Ordines in Urbe promoveri poſſint, requiruntur.

I. L*ITTERÆ DIMISSORIALES*, vel facultas Sacræ Congregationis de Propaganda Fide, ab Eminentiſſimo D. Præfecto, & Illuſtriſſimo D. Secretario Ejuſdem Congregationis ſubſcriptæ, & Eminentiſſimo D. Urbis Vicario directæ, cum expreſſione Tituli, qui ut plurimum eſt Miſſionis.

II. *EXAMEN* ſuper Theolo-

gia Morali , peritia Eccleſiaſticorum Rituum , intelligentia illius Idiomatis, quo officium recitare, & Miſſam celebrare debebunt, ac præcipuè de horis Canonicis, & Miſſarum officiis, Secundum diſtinctionem temporum exequendis. Edict. Sanctiſſimi D. N. Papæ BENEDICTI XIV. ſub die 15. Februarii 1743.

III. *PUBLICATIONES*, ut in præcedentibus Capitibus. Verùm ſi ordinandi ſint Scholares, ſive Alumni, aut moras trahant in Collegio de Propaganda Fide, Publicationes in propria ejuſdem Collegii Eccleſia dumtaxat peraguntur; ex reſcripto S. M. Clementis XI. die 6. Septembris 1714. ut in libro Privilegiorum Secretariæ Tribunalis.

IV. *EXERCITIA SPIRITUALIA*, per decem dies, in eodem Col-

le-

legio, reſpectu eorum, qui ibi morantur; aliorum verò in Domo Miſſionis, ſi linguam Italicam intelligant, ſecus in Eccleſia Nationali, vel alio meliori modo, quo poteſt.

V. *FACULTATES*, ſive licentia Eminentiſſimi Domini Cardinalis Vicarii, vulgò dicta *Exercenda*, ut ab Epiſcopis proprii Ritûs, in Alma Urbe promoveri poſſint.

## ADNOTATIONES.

### *NOTA PRIMO.*

INterdum Orientales facultatem, ut ad Ordines promoveri valeant, obtinent a Sacra Congregatione S. Officii, ſemper tamen directam Vicario Urbis, vel alicui Epiſcopo Eorumdem Ritûs.

### *NOTA SECUNDO.*

EXaminari autem debent in loco ſolito examinis a Perſona integra, & idonea ejuſdem Ritûs, ab Emo Vicario deſignanda, juxta diſpoſitionem præmemorati Edicti Sanctitatis Suæ, vel ea deficien-

ciente ab Examinatoribus Urbis, & ſi Ordinandus non callet linguam Latinam, advocatur Interpres, qui Juramentum de fideliter interpretando præſtare tenetur.

## *NOTA TERTIO.*

GRæci Catholici Ritùs, ſicut Italo-Græci Ordinantur in Urbe ab Epiſcopo Ordinario Græcorum in Eccleſia Santi Athanaſii, abſque ulla facultate, & licentia Emi D. Cardinalis Vicarii; nam Clemens VIII. neceſſitatibus Italo-Græcorum occurrere volens, ut commodè poſſent a proprii Ritùs Præſulibus ad Ordines promoveri, ſimulque cavens, ne ſi ab Ordinariis Latinis, ad Græcos Antiſtites in Græciam, vel Epirum, aut alias Orientis partes, cum Dimiſſoriis remitterentur, ad Schiſmaticos Epiſcopos pro Ordinatione confugerent, per litteras Apoſtolicas in forma Brevis, ſub die 31. Auguſti 1595. conſtituit, Romæ habendum eſſe Epiſcopum Græcum Catholicum, qui Græcos, Epiſcopis Latinis Italiæ, & adiacentium Inſularum ſubiectos, Sacris Ordinibus initiaret; quod deinde uſque ad hæc tempora ſervatum fuit, & colligitur ex ſequenti Decreto Sacræ Congregationis de Propaganda Fide.

De-

*Decretum Sac. Congregationis Generalis de Propaganda Fide, habita ſub die 18. Maii 1665.*

*Ad relationem Secretarii, Sacra Congregatio decrevit eſſe (ſi Sanctiſſimo placuerit) aliquo titulo in partibus decorandum Honuphrium Conſtantinum, olim Alumnum Collegii Græcorum de Urbe, & deinde Miſſionarium ejuſdem Sacræ Congregationis in Provincia Cimarræ, a pluribus fide dignis probitate morum, honeſtate, & prudentia commendatum, ut idem juxta mentem Sac. Congregationis, ad munia Epiſcopalia in Collegio Græco exercenda tranſmitti poſſit, & relato per Secretarium ſupradicto Decreto Sanctiſſimo Domino Noſtro, Sanctitas Sua, illud benignè approbando, mandavit ad ulteriora procedi. Datum die, & anno quibus ſupra.*

*R. Bancherius Secretarius.*

Comprobatur etiam ex Deputationibus, per Eminentiſſimos Cardinales dicti Collegii Protectores factis, quarum una, nempe hodierni Epiſcopi, refertur, tenoris, ut infra.

„ Noi Cardinal Vincenzo Petra, e Car„ dinale Antonio Saverio Gentile Protet„ tori del Collegio di S. Atanaſio de Gre„ ci di Roma, avendo ſtimato di eleggere

„ per Veſcovo Ordinante in detto Colle-
„ gio Monſignor Dioniſio Modinò Arci-
„ veſcovo di Milo, pro interim, atteſa la
„ mancanza di Monſignor Veſcovo di
„ Agrida, che per le ſue indiſpoſizioni,
„ ed infermità, non può continuare nella
„ medema carica; al preſente, volendo
„ ſtabilire in detta Carica il ſucceſſore,
„ Deputiamo, ed eleggiamo Monſignor
„ Arciveſcovo ſudetto di Milo, vita ſua
„ durante, con tutti gli Emolumenti,
„ prerogative, e peſi anneſſi a detta ca-
„ rica, ſecondo il ſolito, e con obbligo
„ di pagare ſcudi dieci il meſe, dal primo
„ Gennaro del futuro anno a detto Mon-
„ ſignor Veſcovo di Agrida, vita duran-
„ te del medemo, e ciò fino, che detto
„ Monſignor di Agrida otterrà qualche
„ Beneficio, o Penſione ſufficiente; e tan-
„ to abbiamo ſtimato di ſtabilire, ed or-
„ dinare in ſequela della mente di Noſtro
„ Signore, come di ſopra eſpreſſaci, or-
„ dinando l'eſecuzione del tutto al detto
„ Monſignor Veſcovo Eletto, ed al Pa-
„ dre Rettore del predetto Collegio, che
„ dovrà regiſtrare il preſente Decreto ne
„ libri del medeſimo Collegio. Roma li
„ 20. Decembre 1739.

*V. Card. Petra.*

*A. Card. Gentili.*

Ex

Ex quibus clarè deducitur, neminem alium Epiſcopum ejuſdem Ritùs, poſſe dictos Græcos ad ordines promovere, niſi de ſpeciali facultate Sacræ Congregationis de Propaganda Fide.

Denique Clemens XII. anno 1735. ut Italo-Græcorum in utraque Sicilia commorantium commodis conſuleret, alterum ejuſdem Græci Ritùs Epiſcopum, in Seminario Corſino, a ſe in Calabria erecto, propter Græcorum hujuſmodi Ordinationes manere juſſit, quorum laudatiſſimum inſtitutum Sanctiſſimus quoque D. N. BENEDICTUS XIV. confirmavit, & innovavit *in ſua conſtitutione Edit. Septimo Kalendas Junii. anno 1742. Super Ritibus Græcorum*. In qua Conſtitutione, inter alia, infraſcripta quoque præſcribuntur.

„ Primo. Nequis Clericus Sæcularis „ Ritus Græci, quamvis alias ſit idoneus „ moribus, ſcientia, & ætate, ad Sacros „ Ordines promoveatur, niſi prius legitimè conſtet, eum, Eccleſiaſticum Be„ neficium, vel Patrimonium, quod ſibi „ ad vitam honeſtè ſufficiat, pacificè poſſi„ dere: Ac propterea deficiente titulo Be„ neficii, per legitima documenta Ordina„ rium ſuum certiorem reddere debet de „ ſufficienti Patrimonio, ut valeat Sacris Or-

„ Ordinibus initiari ; Loco autem dicti „ patrimonii , nec Clericus Uxoris ſuæ „ dotem aſſignare præſumat , nec Ordi- „ narius eam recipere audeat .

„ Secundo. Quemadmodum etiam nemo „ ex Græcis, ſeu Albanenſibus in Cala- „ bria , & Sicilia commorantibus , ad Sa- „ cra Miniſteria aſſumatur , qui trium „ ſaltem annorum ſpatio Græcis , Latiniſ- „ que literis non dederit operam in altero „ ex Seminariis, Italo Græcorum , vel in „ Collegio Græcorum in Urbe .

„ Tertio . ut promovendi ad Sacerdo- „ tium , & Presbyteri , qui præficiendi „ fuerint Eccleſiarum regimini , exami- „ nentur antea diligenter , ſi præcipuè „ de horis Canonicis , & Miſſarum Offi- „ ciis, ſecundum diſtinctionem temporum „ exequendis , ſint ſufficienter inſtructi , „ ut ad hæc, non niſi digni admittantur.

„ Quarto . ut Sacerdotes, & quicum- „ que ſunt in Sacris Ordinibus conſtitu- „ ti , horas Canonicas more ſuo dicant , „ & priuſquam miſſam celebrent , Offi- „ cium matutinale recitare curent .

„ Quinto. Si quis Ritu Cræco Clericus, & „ Lector tantùm fuerit initiatus , atque ex „ benignitate Sedis Apoſtolicæ obtinuerit, „ ut Minores Ordines latinis cæremoniis ſibi

„ ſibi conferantur; is, antequàm Subdiaconus ordinetur, tres Minores Ordines „ omiſſos debet Ritu latino ſuſcipere (nam à Græcis, tantùm Lectoratus Ordo confertur, omiſſis aliis tribus, nempè Oſtiariatu, Exorciſtatu, & Acolytatu, & de horum omiſſione diſſerit Joannes Morinus in ſuo erudito Commentario *de Sacris Eccleſiæ Ordinibus parte 3. exercit. 14. cap.* 1.)
„ Si verò præter Lectoris Ordinem, ad Subdiaconatum etiam Greco Ritu aſcendit, „ & ex diſpoſitione itidem Apoſtolica, facultas ſibi facta ſit, cæteros Ordines Ritu Latino ſuſcipiendi, antequam inter „ Diaconos cooptetur, ex Minoribus Ordinibus, Exorciſtatum tantummodo ſupplere cogitur. Cum per Subdiaconatum Græco Ritu collatum, Acolytatum, & Oſtiariatum recepiſſe cenſeatur. „ Idem dicendum de eo, qui una cum reliquis inferioribus Ordinibus Diaconatũ, „ aut etiam Presbyteratum gręcè ſuſcepit, „ & latino poſtea Ritu ad ſacrum Presbyteratus reſpectivè Ordinem, aut Epiſcopatum promovendus ſit ex Apoſtolica „ conceſſione: nimirum Exorciſtatùs Ordinem in ipſo, antequam Presbyter ordinetur, aut Epiſcopus conſecretur, eſſe „ ſupplendum.

„ Se-

,, Sexto. Græci, ſine Literis Dimiſſoriis
,, Epiſcopi Latini Diæceſani, nullatenus
,, ad primam Tonſuram, vel aliquem Or-
,, dinem recipiendum admittantur.

,, Septimo. Promoti ad primam Tonſurã,
,, vel alium quemcumque Ordinem, ſine Di-
,, miſſoriis Latini Ordinarii, ſuſpenſi ſint, &
,, ſi ſuſpenſi in Sacris Ordinibus miniſtrave-
,, rint, efficiuntur irregulares, ſicut & La-
,, tini. Et ſuper hujuſmodi, & ſimilibus
,, irregularitatibus ſolus Papa diſpenſat.

,, Octavo. Quamvis ex Eccleſiæ Diſci-
,, plina á Græcis olim recepta, promoti ad
,, aliquem Ordinem Sacrum, ſi per aliquod
,, temporis intervallum, in eo non fuerint
,, verſati, ad altiorem gradum aſcende-
,, re non poſſint; qua lege Græci, ſeu Al-
,, banenſes in Italia, & Inſulis adiacenti-
,, bus commorantes, dubio procul tenen-
,, tur: nihilominus cum prædicti Græci,
,, ſeu Albanenſes, Ordinarios ſuos, qui-
,, bus ſubiiciuntur, habeant Latinos, à
,, quibus tamquam alieni Ritus, Sacris Or-
,, dinibus initiari prohibentur; Ac proin-
,, de cum Romam, vel in Calabriam, ubi
,, ſunt Epiſcopi à Sancta Sede Apoſtolica
,, ad ordinationes Ritu Græco exercendas
,, Deputati, repetitis vicibus, non ſine
,, quam plurimis incommodis, & expenſis
ad

„ ad Sacros, Ordines juxta temporum in-
„ tervalla ſuſcipiendos, ſeſe conferre de-
„ berent. Sanctitas ſua eoſdem Græcos,
„ seù Albanenſes gratiis, & favoribus
„ proſequi, eorumque incommodis con-
„ ſulere volens, præfatis Epiſcopis Græ-
„ cis Romæ, & in Calabria pro tempore
„ degentibus, licentiam, & facultatem,
„ impertitus fuit, ut Græcos, ſeu Alba-
„ nenſes hujuſmodi, ex longinquis Re-
„ gionibus accedentes, qui minoribus,
„ ſive majoribus Ordinibus initiari cu-
„ piunt, ad omnes Ordines promovere
„ inpoſterum valeant, tribus diebus feſti-
„ vis, non autem continuis, ſed aliquo
„ temporis intervallo, Antiſtitis Ordi-
„ nantis arbitrio, ſeparatis, non ſervata
„ interſtitiorum lege, nec requiſita ad hoc
„ ab iis, qui initiantur ſuorum reſpecti-
„ vè Ordinariorum Latinorum licentia,
„ ſive diſpenſatione. Non tamen diſpen-
„ ſatur cum illis, qui Domicilium habent,
„ ſive commorantur in ea Provincia, in
„ qua Eiſcopus Ritus Græci ſolet Sacras
„ Ordinationes exercere.

„ Nono. Cum Alumnis, & Convictori-
„ bus Collegii Græcorum Urbis, & Italo-
„ Græcorum in Calabria, & Sicilia, diſpen-
„ ſatur, ut promoveri poſſint tribus die-
„ bus

„ bus feſtivis, ſi Collegiorum utilitas, vel
„ neceſſitas exegerit.

„ Decimo. Quoad ætatem Ordinando-
„ rum, diſponitur, ſervandum eſſe, quod à
„ Sacroſancta Tridentina Synodo eſt præ-
„ ſcriptum.

„ Undecimo. Prohibetur, Latinos, ex
„ Latinis progenitos, ac Latino Ritu edu-
„ catos, juxta Ritum Grçcum, ſub ſpe reti-
„ nendi uxores, ad Sacros Ordines promo-
„ veri, etiam in locis, ubi Græcus Ritus
„ ſervatur.

„ Duodecimo. Denique ut eorum Cle-
„ rici, Subdiaconi, Diaconi, & Presby-
„ teri, Uxores in eorum miniſterio reti-
„ neant, dummodo ante Sacros Ordines
„ Virgines, non Viduas, neque corruptas
„ duxerint, Romana non prohibet Eccle-
„ ſia. Eos autem, qui Viduam, vel cor-
„ ruptam duxerint, vel ad ſecunda vota,
„ prima Uxore mortua, convolarunt, ad
„ Subdiaconatum, & Presbyteratum pro-
„ moveri omninò prohibetur. Præterea,
„ ſi quis Subdiaconus, Diaconus, vel
„ Presbyter poſt Sacram Ordinationem,
„ Uxore mortua, aliam duxerit, vel ſi
„ Vxorem non habeat, ducere præſum-
„ pſerit, nedum excommunicationis latæ
„ ſententiç pœna, aliiſque arbitrio Ro-

„ ma-

„ mani Pontificis infligendis ſeveriſſimè „ punietur; Verùm etiam ſtatim ab ordi- „ ne erit deponendus, & ab illegitima „ Vxore ſeparandus. Matrimonium enim „ poſt recenſitos ordines contractum, „ nullum irritumque declaratur.

Alumni verò Collegii Græcorum de Urbe Ordinantur abſque ullo Titulo Beneficii, aut Patrimonii, ſed tantummodo dicti Collegii Titulo vigore Bullę Sixti V.

## *NOTA QVARTO.*

ORientales Ritùs Maronitici (qui omnes ſunt Catholici, ſubiecti Patriarchæ Antiocheno, habitantque in Syria, & Monte Libano, ac Miſſam in Azimo celebrant, ſub Ritu Syriaco, ac etiam Arabico, ad captum Populi) habent in Urbe collegium pro quindecim Alumnis, ac etiam Monaſterium SS. Petri, & Marcellini, pro duodecim Monacis Antonianis, Congregationis Libanenſis nuncupat.

Alumni dicti Collegii, promoventur ad ordines, etiam extra tempora a Jure ſtatuta, & abſque ſuorum Ordinariorum litteris Dimiſſorialibus, ac ſine aliquo Beneficii, vel Patrimonii Titulo, & non obſtante quovis natalium defectu, & præſentantur Vicario Urbis ab Emō Domino Cardi-

dinali ejuſdem Collegii Protectore, de conſenſu Rectoris, vigore Conſtitutionis 91. Gregorii XIII. ſuper Inſtitutione dicti Collegii in Alma Urbe.

Similiter ſupradicti Monaci, præſentantur pro ordinibus ſuſcipiendis, ut ſupra, ab Emo Domino Protectore, eorumque Abbate.

Qui verò, abſolutis in præmemorato Collegio ſtudiis, extra idem Collegium repeRiuntur, ſicut etiam Monaci extra Monaſterium commorantes, aliique omnes ejuſdem Ritùs, promoveri non poſſunt, niſi habeant litteras Dimiſſoriales a Sacra Congregatione de Propaganda Fide; & examinantur, ut ſupra dictum eſt in adnotatione Secunda præſentis cap. in loco ſolito examinis, a Perſona Deputata ejuſdem Ritus, etiam ſuper idiomate Syriaco, & Arabico; vel ea deficiente, ab examinatoribus Urbis per interpretem, pariter ad hoc deſignatum, qui ut plurimum eſt Nationis Maroniticæ, utpote dictorum idiomatum capax, maximè linguæ Arabicæ, quæ eſt communis omnibus Orientalibus, quo Interprete etiam utitur Sancta Sedes, & Sacra Congregatio de Propaganda Fide.

Ordinantur autem de licentia Vicarii Urbis ab Epiſcopo ejuſdem Ritùs Maroni-

ti-

tici, quatenus in Urbe reperiatur, ſin minus, ab Epiſcopo Syriaco, vel etiam Latino, juxta facultates Sanctæ Sedis.

## NOTA QUINTO.

SYriani, partim ſunt Catholici, & partim Hæretici, Syriani Heretici, vulgò appellantur Giacobiti, ex Jacobo Baradeo, qui dilatavit Hereſim Dioſcori, in Syria, & Meſopotania, cujus errores ſequuntur etiam Monofiſitæ, & Monotilitę, qui admittunt in Chriſto unam tantummodo naturam, voluntatem, & operationem, & ſubiiciuntur in Spiritualibus Patriarchæ, & Epiſcopis Hæreticis in dictis Regionibus, ac officium recitant, Miſſamque celebrant in lingua Syriaca, & in Pane fermentato, invocantque in ſuis precibus inter Sanctos, Nomina Dioſcori, & Severi, aliorumque Hæreticorum, ſimilium errorum Sectatorum.

Syriani Catholici, habitant pariter in Syria, ſed de præſenti, non habent Eccleſiam publicam, ideoque celebrant, vel apud Patres Miſſionarios, vel in Eccleſiis Maronitarum, ac etiam in Domibus privatis: Solummodò in Monte Libano, paucis ab hinc annis, erexerunt Hoſpitium, cum Eccleſia, in qua duo reſident Epiſcopi

 ejuſ-

ejuſdem Ritùs Catholici, Ordinantque ſuos ſubditos.

In Urbe verò habent locum in Collegio de Propaganda Fide, pro duobus Alumnis, ac etiam habent Hoſpitium, non longè à Liberiana Baſilica, ſub invocatione S. Mariæ de Sanitate, & Sancti Efrem, & eſt ſub protectione, & regimine Sac. Congregationis de Propaganda, inſervitque pro habitatione Peregrinorum Eccleſiaſticorum, & Sæcularium ejuſdem Ritùs.

Promoventur ad Ordines, cum litteris Dimiſſorialibus ejuſdem Sacræ Congregationis de Propaganda Fide, prævio examine, ut ſupra dictum eſt, etiam circa peritiam idiomatis Syriaci, & de licentia Vicarii Urbis Ordinantur a proprio Epiſcopo, quo deficiente, ab Epiſcopo Ritùs Maronitici, a quo Noſtris temporibus, non pauci promoti fuerunt, vel ab alio Epiſcopo a Sancta Sede deſignando.

## *NOTA SEXTO.*

CHaldæi ſimiliter, partim ſunt Catholici, ſubiecti proprio Patriarchæ, qui reſidet in Diarbechir Meſopotaniæ, cum duobus vel tribus aliis Epiſcopis Suffraganeis Civitatum Mardin, & Seart. Officium recitant, ac Miſſam celebrant in idio-

idiomate Chaldaico, conſimili Syriaco, conſecrantque in fermentato. Et partim ſunt Hæretici Neſtoriani, nuncupati a Neſtorio, cujus errores tuentur, admittentes in Chriſto duas Perſonas, & negantes Mariam Virginem eſſe, & vocari debere Matrem Chriſti. Ideoque in ſuis precibus invocant inter Sanctos Nomina Neſtorii, Theodori, & Diodori Hæreticorum, habitantque in Meſopotania, maximè in Ninive, uſque ad Babiloniām, ac etiam in Indiis, in Regno vulgò dicto Malabar. Caldei Catholici habent in Collegio de Propaganda Fide locum prò duobus Alumnis, ſed non habent in Urbe proprium Hoſpitium, ac examinantur, & Ordinantur, ut ſupra dictum eſt de Maronitis, & Syrianis, cum litteris Dimiſſorialibus ejuſdem Sacræ Congregationis.

## *NOTA SEPTIMO.*

COpti, ſunt Populi Ægyptiani, inter ſe pariter in Ritu diſcrepantes; alii enim ſunt Hæretici Monofiſitæ, & Monotellitæ nuncupati, utpote admittentes in Chriſto unam tantummodò naturam, & invocant in ſuis precibus Dioſcorum, & Severum Hæreſiarchas, celebrant in lingua copta, conſimili linguæ Græcæ, & con-

ſecrant in Fermentato. Subiiciuntur proprio Patriarchæ Alexandrino, qui reſidet in Civitate, vulgò appellat. gran Cairo, & habet Epiſcopos ſuffraganeos diverſis in locis Ægypti Superioris, & inferioris. Alii ſunt Catholici, qui habent locum pro pluribus Alumnis in Collegio de Propaganda Fide, ac etiam habent Hoſpitium Nationale, nuncupat. S. Stephani Maurorum, prope Baſilicam Vaticanam, in quo Hoſpitio morantur Monaci, Eccleſiaſtici, & Laici dicti Ritùs, ſub protectione, & diſciplina Sacræ Congregationis de Propaganda Fide; ac cum Dimiſſorialibus ejuſdẽ Congregationis, prævio ut ſupra conſueto examine, Ordinantur ab Epiſcopis, quibus Sancta Sedes facultatem impertitur. PP. Antonius, & Macarius primi Monaci Ritùs Copti in ſupradicto Hoſpitio, promoti fuerunt per R.P.D.Eva Archiepiſcopum Maronitam Cypri.P.Pacomius,per R.P.D. Modinò Epiſcopum Gręcum.DD. Raphael Turchi, Juſtus Marachi, & Baſciai Balaiti Copti. Alum. Collegii de Propaganda. fuerunt promoti per Epiſcopos latinos. & D. Joannes Theodorus Ehiat Coptus Sæcularis per ſupradictum R. P. D. Eva Epiſcopum Maronitam.

## NOTA OCTAVO.

Æ Thiopes Hęretici, qui Patriarchæ Alexandrino ſubiiciuntur, eoſdem Monofiſitarum errores defendunt, conſecrant in fermentato, ac officium, & Miſſam celebrant in lingua Æthiopica, omninò diverſa à lingua copta.

Supradictum Hoſpitium S. Stephani Maurorum, olim Æthiopis Catholicis conceſſum fuit a Sancta Sede, atque adeo qui ad Urbem accedunt, ibidem cum coptis convivunt.

Habent in Collegio de Propaganda Fide locum pro pluribus Alumnis, & Ordinantur cum litteris Dimiſſorialibus ejuſdem Sacræ Congregationis, per Epiſcopos à Sancta Sede deſignandos, licet iſtorum promotio rariſſimè in Urbe accidat.

## NOTA NONO.

A Rmeni Hęretici, qui etiam propugnant errores Monofiſitarum, ideoque anatematizant Sanctum Leonem Papam, & Concilium quartum Calcedonenſe, quod eorum errores damnavit; ſubiiciuntur duobus Patriarchis in Armenia Majori, & minori, & conſecrant in Azimo.

Armeni Catholici, de preſenti habent Patriarcham Catholicum, nuperrimè à Sanctiſſimo D. Noſtro Papa BENEDICTO XIV. confirmatum, qui reſidet in Monte Libano, in novo quodam Monaſterio, quod eſt Refugium Catholicorum inter Maronitas, ad quod Monaſterium confugiunt etiam alii Epiſcopi, Presbyteri & Seculares, qui Hereticorum perſecutiones patiuntur.

Habent in Vrbe locum pro pluribus Alumnis in Collegio de Propaganda Fide, ac Hoſpitium in Eccleſia S. Mariæ Ægyptiacæ, in quo reſidet Epiſcopus, qui Sacras functiones, ac Ordinationes Armenorum peragere ſolet. Ordinantur autem cum litteris Dimiſſorialibus ejuſdem Sacræ Congregationis, prævio examine, ut ſupra dictum eſt.

### *NOTA DECIMO.*

MElchitæ Hæretici, ſunt Græci commorantes in Syria, & utuntur lingua Arabica, in eademque lingua Sacras peragunt functiones, ac Miſſam celebrant in fermentato. Sequntur eoſdem errores Græcorum; negant primatum Papæ, & recognoſcunt pro capite Eccleſiæ Patriarcham Græcum Conſtantinopolitanum.

Mel-

Melchitæ Catholici, habent proprium Patriarcham, qui propter Schiſmaticorum timorem, reſidet in Monte Libano. Sunt etiam alii Epiſcopi Catholici ejuſdem Ritùs, qui reſident in Sidòne, & Damaſco, quamvis propter metum perſecutionum non audeant pro Catholicis ſe manifeſtare.

Habent ſimiliter locum in Collegio de Propaganda Fide pro duobus Alumnis, ac Hoſpitium S. Marię in Domnica vulgò dictum la Navicella, in quo ſunt Monaci Melchitę Baſiliani. Ordinantur cum Dimiſſorialibus ejuſdem Congregationis de Propaganda ab Epiſcopo Gręco eorumdem Ritùs, ac examinantur, ut ſupra dictum eſt, a perſona deputatata, vel ea deficiente ab Examinatoribus Vrbis per interpretem.

II. *DIMISSORIALES* hujuſmodi, non cuicumque, ſed Epiſcopo dumtaxat Domicilii diriguntur, ex ſtylo Segretariæ.

III. Nec aliàs, quàm cum infraſcriptis clauſulis conceduntur pro Sacris Ordinibus: *Ita tamen, ut ante ſuſceptionem cujuslibet ex dictis Sacris Ordinibus, per decem dies continuos in aliqua pia Domo Exercitiis Spiritualibus vacaveris, & quo ad Scientiam, prævio diligenti examine, juxta diſpoſitionem Sac. Conc. Trid. Seſſ. 23. cap. 11. & ſequen. de Reform. ac poſtremi Edicti Sanctiſſimi D.N. Papæ BENEDICTI XIV. nempe ſuper ſtudio trium annorum Juris Pontificii, ſeu Theologiæ Scholaſticæ, vel ſaltem Moralis, habilis reperiaris, & idoneus comprobatus fueris.*

Quod ſi ante conceſſionem dictarum Dimiſſorialium, ſolitum Con-

vi-

rò reſidentiale, juxta Taxam Synodalem Diæceſis Beneficii, ad formam declarationis Sac. Congregationis Concilii. *in una Alatrina 9.* Julii 1701. da qua fuſius in ſubſequenti Capite, ac *in alia Ariminen. X. Januarii* 1705. Non tenetur tamen petere Dimiſſoriales, ſive Beneficium ſit ſimplex, ſive Reſidentiale, cum ſufficiant Teſtimoniales, ad formam Conſtitutionis Innocentianæ.

## *NOTA SECUNDO.*

SOlent ut plurimum Epiſcopi in Litteris Dimiſſorialibus, etiam pro ſolis minoribus conceſſis, apponere hæc verba; *in propria, vel aliena Diæceſi, de Ordinarii loci licentia Pontificalia exercente*, non advertentes, quod in collatione ordinum minorum, non eſt neceſsè, quod Epiſcopus exerceat Pontificalia ſolemniter: Unde ad removendum dubium, quod poſſet non inſipidè excitari, an ſcilicet verba ſupradicta: P*ontificalia Exercente*, reddant licentiam conditionalem, necnè, adeout non poſſit dici legitimè ordinatus, ſi ab Epiſcopo Pontificalia non exercente, dimiſſus eſſet promotus; aptiora ſunt verba: *Ordinationes tenente*, quæ complectuntur utrumque modum.

*NO-*

## NOTA TERTIO.

SIcuti poteſt Epiſcopus Dimiſſorias jam conceſſas revocare, ut docet Biſſ. *Hierurg. litt. D. verb. Dimiſſoriæ* §. 31., ita poteſt pro tempore limitato duorum, quatuor, & ad ſummum ſex Menſium illas expedire, & defacto praxis Secretariæ eſt, illas concedere, pro Tonſura ad duos, pro minoribus ad quatuor, & pro quolibet Sacro ad ſex Menſes valituras. Et ratio hujus eſt, quia cum Dimiſſoriæ contineant teſtimonium de vita, & moribus, quibus præditi eſſe debent ordinandi, ſi poſt illarum conceſſionem tantum temporis effluxerit, quod ſufficiat ad probabiliter dubitandum, mores fuiſſe mutatos, tunc non eſſent amplius ab ordinante admittendæ, niſi aliundè conſtaret de continuatione proborum morum, alioquin illas admittens ſe exponeret periculo ordinandi indignum, ut advertit Paſqualig. *ad Lauret. de franc. contr. part.* 1. *num.* 278.

Et propterea, abſentibus per longum tempus, antequam litteræ Dimiſſoriales concedantur, vel quo ad mores exigitur bonum teſtimonium ordinarii loci, ubi morati ſunt, vel in litteris nulla de Mo-

ri-

ribus ſit fides, relatè ad tempus abſentiæ, ſed tantummodo de tempore permanentiæ in Urbe, ſolentque etiam aliquando addi hæc verba. *quo verò ad mores pro tempore tuæ abſentiæ ab Vrbe, nullum damus teſtimonium*. Et ita docet Januen. *prax Cur. Archiep. Neap. cap.*81. *nu.*4. *Sac. Congreg. Concil.* 28. *Aprilis* 1565. Immo non ſupervacaneum eſſet etiam addere hæc alia verba. *& dummodo pro dicto tempore tuæ abſentiæ nullum contraxeris* Canonicum *impedimentum*. quæ verba communiter ab Epiſcopis ſolent in Dimiſſorialibus apponi.

An autem Epiſcopi compellantur concedere Dimiſſoriales abſentibus non arctatis, vel poſſint illas denegare; dico quod ſi agatur de his, qui ex devotione, & ex mera libera voluntate, & motivo, cupiunt ordinari, tunc nec Ordines conferre, nec Dimiſſorias concedere Epiſcopus compellitur: quia *Concilium Tridentinum Seſſ.* 21. *cap.* 2. *de Reform.* hos ordinari non debere decernit, niſi Epiſcopus aſſumendos eſſe pro utilitate Eccleſię judicaverit: ſi ergo arbitrium, quod habet, juſtè, & cum cauſa non interponat, Deum ſolummodo Judicem habebit. Barb.*de offic. & pot. Epiſ. alleg.* 4. *num.* 66.

Cenſet tamen Monacel.*Formul.leg. Tom.*

*1. Tit.*

1. *Tit.IV.form.2.num.* 13. Quod Epiſcopi, qui abſentibus, moribus, ſcientia, & virtute prędìtis, quamvis non arctatis, neque Beneficio proviſis, Dimiſſorias denegant, non ſint laudandi, quia tunc irrationabiliter arbitrio abutuntur, quod ſemper etiam liberè, & abſolutè conceſſum, regulari debet ad normam boni viri, ut dixit Rot. *Deciſſ.* 188.*nu.* 31.*par.* 17. *rec.* & quod propterea pro his, juſtè illorum diſſenſum Superior ſupplere poſſit, & arbitrium interponere.

## NOTA QVARTO.

ETiam Sede Pontificia vacante, poteſt Vicarius Urbis concedere Dimiſſorias ſuis ſubditis, quia non expirat ejus juriſdictio mortuo Papa. Fagnan. *cap. cum olim. num.* 69. *de major. & obed.* Barboſa *cap. tua Nobis, num.* 4. *de officio Vicarii*.

## NOTA QVINTO.

DImiſſoriales prędictę non poſſunt a Vicario Urbis, ſicut etiam nec a quocumque alio Ordinario dirigi Abbatibus, ſub pœna ſuſpenſionis a collatione Ordinum, tâm concedentibus dictas Dimiſſoriales, quàm Ordinantibus. *Sac.Cong. Concilii ſub die* 13. *Novembris* 1641. Vide

Emi-

Eminentiſſimum Petra in comment. *ad Conſtitutionem nonam Pii Secundi pag.* 174. *num.* 40.

Et ad temeritates Clericorum, fraudeſque compeſcendas, debent fieri in Scriptis, ac Subſcriptione & Sigillo Eminentiæ ſuæ & reſpectivè Epiſcoporum muniri, ut obſervat Franciſc. Hallier. *de Sacrament. Ord. ſect.* 15. & comprobatur *ex Canon.* 17. *Trullanæ Synodi*, cujus decreta, licet omnia ab Eccleſia Romana non probentur, plurima tamen laudantur; cum Sanctiſſimam Diſciplinam, vel conſtitutam, vel confirmatam eſſe per eam evidens ſit. Verba cit. Canon. ſunt: *Nullus omninò Clericus, in quocumque ſit gradu, poteſtatem habet, ſine proprii Epiſcopi Scripta Dimiſſoria, in alienæ Eccleſiæ Cathalogum referri*. Ex quo, ultra conſentientem veteribus Canonibus Diſciplinam, etiam Dimiſſoriarum derivatam nomenclaturam accepimus, ut not. cit. Hallier. *de Sacris Ordination.* ex Græca voce, qua utitur Concilium, quæ Latinè ſonat dimittere.

Et quamvis contra ea, quæ hucuſque retulimus, opponi poſſint nonnulla exempla ex antiquitate deprompta, ex quibus non improbari videtur Diſciplina, qua potuerit alienus Epiſcopus non ſibi ſub-

di-

ditum Ordinare, attamen reſpondetur; Diſciplinam fuiſſe antiquis temporibus conſtanter præſcriptam, & ſervatam riligiosè; qua tantùm Clerici, non autem Laici prohiberentur ab alieno Epiſcopo, proprio inconſulto, Sacros Ordines recipere. Id cuilibet verba Sacrorum Canonum perpendenti patebit. Omnes enim Sacri Canones decem prioribus ſæculis conditi, ſolùm de Clericis loquuntur; itaut prohibeant, ne quis in conſulto eo Epiſcopo, a quo Clericus primùm factus eſt, ad Ordines promoveretur, *Canon. illud*, *Canon. Clericos*, *Canon. Extraneo, diſtin. 71.*

Ratio hujus Diſcriminis erat, quia per Ordinationem, Epiſcopus Clericum Ordinibus inſignitum, ita ſibi mancipabat, ut non potuerit, citra ejus aſſenſum, alteri ſe Epiſcopo adglutinare, quæ mancipatio in Laicis, utpotè Ordinibus deſtitutis, locum non habebat, ex quo animadverti poteſt, validiora jura ex ea Diſciplina, Epiſcopo Ordinationis, quàm originis fuiſſe tributa; quod evidenti exemplo *a Concilio Carthaginen. III.* petito confirmatur. Commendavit Julianus Epiſcopus, Epigonio Epiſcopo puerum quemdam valdè inopem, proprium ſui loci Civem; illum Epigonius, non tantùm Baptiſmate

Z ini-

initiavit, ſed inſuper expenſas, tàm pro educatione, quàm pro inſtitutione in re litteraria miniſtravit; ac tandem Lectorem inſtituit. Tùm Julianus eum inconſulto Epigonio Denuò ſibi vindicavit, & ad Diaconatum promovit. Ea de re offenſus Epigonius, ſuas querelas porrexit Patribus dicti Concilii; qui Juliano præceperunt, ut Epigonio Clericum reſtitueret. Unde patet Julianum, qui Epiſcopus erat Originis, coactum Epigonio, qui erat Epiſcopus Ordinationis, Clericum reſtituere.

Ex qua iterum Diſciplina colligitur, quod diſcrimen adſit inter Litteras Dimiſſorias antiquorum, & eas noſtri temporis. Per illas namque a proprio Epiſcopo, veluti manumittebantnr Ordinandi, itaut omnia jura, quæ in illo habebat amitteret, translatis eis in Epiſcopum, cui litteræ Dimiſſoriæ dirigebantur. Sic loquitur *Concil. Cartagin. III. can.* 21. *ut alienum Clericum, niſi concedente ejus Epiſcopo, nemo audeat, vel retinere, vel promovere in Eccleſia ſibi credita.* Quæ verba manumiſſionem illam, & reſpectivè mancipationem haud obſcurè innuunt. At Litteræ Dimiſſoriales Noſtri temporis illam quaſi manumiſſionem non operantur, re-

ma-

manentque ſemper jura pœnes Epiſcopum, qui eas Litteras concedit; cum juxta præſentem Diſciplinam, major habeatur Originis ratio, quàm Ordinationis. Rationem autem hujus innovationis dat Thomaſſin. *par.* 2. *lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 13. cum namque prioribus Eccleſiæ ſæculis, nondum Chriſti jugo ſubeſſent omnes orbis Romani, Provinciæ, & Civitates nondum ſuos haberent Epiſcopos; qui inde erant oriundi, non poterant ſe Epiſcopo ulli aptius adgregari, quàm ei, qui primus illis manus iniiciebat; ut eos ſibi vindicaret; at cum poſtea Eccleſia longè latèque diffuſa, orbiſque penè univerſus ab ipſo Epiſcoporum ore, fidei documenta hauſerit, equiſſimum viſum eſt, ut Epiſcopus, Miniſtros ſuos eligat ex eorum numero, quos ipſe per Baptiſmum ſibi, Eccleſiæque ſuæ genuit, & quorum mores ex pueritia obſervavit.

Reperiuntur tamen in antiquis monumentis exempla, quibus conceſſas fuiſſe Litteras Dimiſſorias, cum obligatione revertendi ad propriam Parochiam, evincitur; verùm hoc infrequens fuit; quinimò contra Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem, illas concedi ajebat S. Gregorius *lib.* 4. *indict.* 13. *Ep.* 30. Unde cum diutius ea Di-

ſciplina viguiſſet, cepit tandem immutari, & major auctoritas Epiſcopo Originis adſcribi; *Concilium Ravenat. anno 997. can. 3.* Decrevit: *ut nemo alterius* Diœceſanos, *vel Parochianos* (non ait Clericos, ut anteriora Concilia loquebantur) *recipere, aut promovere, ſeu retinere præſumat ſine* Canonicis *Epiſtolis*. Idem ſtatuitur *in cap. nullus de tem. Ord. in 6.* ubi Papa prohibuit, ne hominem quemquam alienæ Parochiæ Epiſcopus ordinet, ſine litteris Dimiſſorialibus ſui Ordinarii; & ſic non prohibuit non ordinari Clericum ſolùm, ſed nec Laicum, quod etiam comprobatur per Concilium Tridentinum *Seſſ.* 14. *de Reform. cap.* 2. in quo etiam quoad Laicos proceditur, ut non admittantur ad Ordines, ſine litteris Dimiſſoriis proprii Ordinarii, quod quanta prudenti Œconomia introductum ſit, cuilibet eſt in comperto.

## *NOTA SEXTO:*

## *Dimiſſoriales, de quibus ſupra, infraſcriptis formulis conceduntur.*

PRo prima Tonſura: *Dilecto Nobis in Chriſto N. N. Romano fil. N. N. conje-*

*jugum, ſalutem in* Domino, *qui eſt vera Salus; Vt ab Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo D. Epiſcopo N. N. in cujus Diœceſi exiſtis prima* Clericali *Tonſura inſigniri poſſis, & valeas, licentiam, & facultatem in Domino concedimus, & impertimur; Teſtantes, Te de legitimo Matrimonio natum, aquæ baptiſmali renatum, Sacro Chriſmate confirmatum, in ætate legitima conſtitutum, & de bonis, vita, moribus, aliiſque neceſſariis requiſitis de tempore, quo Romæ moras duxiſti bonum habere teſtimonium, nulloque canonico impedimento (quod Sciamus) irretitum; Ita tamen, ut prævio examine, non ſolùm ſuper moribus, & quod nullum tibi obſtet canonicum impedimentum de tempore tuæ abſentiæ ab Vrbe, ſed etiam juxta diſpoſitionem Sac.* Concilii *Trid. Seſſ.* 23. *cap.* 4. *de Refor. idoneus reperiaris, & prius in aliqua pia Domo exercitiis Spiritualibus vacaveris, ut probabilis ſit conjectura, Te non Sæcularis Judicii fugien., aliave fraude, ſed ut Deo fidelem cultum præſtes hoc genus vitæ eligere, ſuper quibus omnibus conſcientiam dicti Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi D. Epiſcopi oneramus, noſtram penitus exonerantes.* Præ*ſentibus ad duos menſes tantùm valituris. In quorum &c. Datum &c.*

Pro quatuor Minoribus: *Dilecto Nobis in Chriſto N. N. Clerico Romano, ſalutem in Domino, qui eſt vera Salus: Ut ab Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino Epiſcopo N. N. in cujus Diæceſi exiſtis ad Oſtiariatum, Lectoratum, Exorciſtatum, & Acolythatum minores ordines, duabus vicibus, & ſtatutis a jure temporibus, nempe duobus diebus Feſtivis de præcepto, juxta Ritum S. R. E. promoveri poſſis, utque præfatus Antiſtes illos tibi conferre valeat, licentiam, & facultatem in Domino concedimus, & impertimur; ita tamen ut prævio examine juxta Diſpoſitionem* Sac. Conc. *Trid. Seſſ.* 23. *cap.* 5. & 6. *de Reform. idoneus reperiaris, & prius in aliqua pia Domo exercitiis Spiritualibus vacaveris; ſuper quibus omnibus ejuſdem Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Domini Epiſcopi conſcientiam oneramus, noſtram penitus exonerantes; cæterum teſtamur; Te de legitimo Matrimonio natum,* Sacro *Chriſmate confirmatum, in ætate legitima conſtitutum, prima* Clericali *Tonſura inſignitum, ac de bonis, vita, moribus aliiſque neceſſariis requiſitis de tempore, quo Romæ moras duxiſti, bonum habere teſtimonium, nulloque canonico impedimento (quod Sciamus) irretitum. Præſentibus ad quatuor tantùm Menſes valituris.*

*ris. In quorum &c. Datum &c.*

Pro tribus Sacris: *Dilecto Nobis in Chriſto N. N. Accolyto Romano, ſalutem in Domino, qui eſt vera Salus; Ut ab Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo D. Epiſcopo N. N. in cujus Diœceſi exiſtis, ad Sacros Subdiaconatus,* Diaconatus, *& Presbyteratus ordines, ad Tit. N.* Sive *Patrimonii, vigore reſcripti Sanctiſſimi D. N.* Papæ *ſub datum die &c. promoveri poſſis, & valeas, ſtatutis a jure temporibus, & Servatis,* vel *non ſervatis etiam temporum Interſtitiis, licentiam, & facultatem in* Domino *concedimus, & impertimur. Teſtantes, Te de legitimo Matrimonio procreatum, prima* Clericali *Tonſura inſignitum, & ad quatuor minores Ordines promotum, in ætate legitima conſtitutum, utpote natum die .... anni .... in propria Parochiali Eccleſia S.* N. N. *& in Sacroſancta Lateranen. Baſilica tribus diebus Feſtis de Præcepto proclamatum, & de bonis, vita, moribus, aliiſque neceſſariis requiſitis de tempore, quo Romæ moras duxiſti bonum habere teſtimonium, nulloque canonico impedimento (quod Sciamus) irretitum; Ita tamen, ut ante Suſceptionem cujuslibet ex dictis Sacris Ordinibus, per decem dies continuos, in aliqua pia Domo exercitiis Spiritualibus vacaveris; & quoad*

Z 4 *Scien-*

*Scientiam prævio diligenti examine juxta diſpoſitionem Sac.* Conc. *Trid.* Seſſ.23. *cap.* 6. *& ſequen. de Reform. ac poſtremi Edicti Sanctiſſimi D.N. Papæ BENEDICTI XIV. nempe ſuper ſtudio trium annorum Juris Pontificii, ſeu Theologiæ Scholaſticæ, vel ſaltem moralis, habilis reperiaris, & idoneus comprobatus fueris, ſuper quibus omnibus conſcientiam dicti Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi* Domini *Epiſcopi oneramus, noſtram penitus exonerantes. In quorum &c. Datum &c.*

CA-

# CAPUT DECIMUM-QUINTUM.

## Pro Romanis extra Urbem, ratione Beneficii, vel Domicilii, in alienis Diœceſibus promovendis.

I. LItteræ Teſtimoniales ſuper ætate, moribus, & vita, ad formam Conſtitutionis Innocentianæ, quæ expediuntur prævia exhibitione atteſtationum Matrimonii Parentum, Baptiſmatis, Confirmationis, proprii Parochi, ſuper vita, & moribus, Sacramentorumque frequentia, ſtatùs liberi, & quod in Tribunalibus Urbis non fuerint inquiſiti, proceſſati &c. nulloque Canonico impedimento irretiti, necnon Publicationum in

in Baſilica Lateranen., & in propria cujuſque Parochiali Eccleſia, factarum, quodque nullum detectum fuerit canonicum impedimentum.

II. Ultra præfatas Teſtimoniales, qui extra Urbem promoveri volunt Titulo Beneficii, examen quoque coram Examinatoribus Urbis, ſi ad hanc ſint reverſuri, ſuper ſcientia, & idoneitate ſubire tenentur; neque Teſtimoniales hujuſmodi cõcedi poſſunt, niſi prævio antedicto examine habiles ad ordinem approbari meruerint: Et Beneficium ad congruam vitę ſuſtentationem ita eſſe debet, ut abſolutè, juxta taxam, moremque Urbis, ad quam Ordinandus eſt rediturus ſufficiens ſit. *Conc. Rom. Tit. 6. de ætate, & qualitate præficiendorum cap. IV.*

III. Promovendi verò ratione Domicilii in aliena Diæceſi, ante con-

conceſſionem dictarum Teſtimonialium, publicum Documentum Ordinarii ejuſdem Diæceſis, quod legitimè ad formam præmemoratæ Conſtitutionis Domicilium contraxerint, & ſe habere animum in eadem Diæceſi permanendi juraverint, exhibere tenentur.

## ADNOTATIONES.

### *NOTA PRIMO.*

ET ſi Ordinarius in conficiendis Teſtimonialibus favore ſui ſubditi, qui in aliena Diæceſi ratione Beneficii promoveri deſiderat, non teneatur recognoſcere ſufficientiam, ſeu congruam dicti Beneficii, cum hoc ſpectet, tàm ad Ordinandum, quàm ad Epiſcopum promoventem, ne pœnas in prælaudata Conſtitutione inflictas incurrant, tamen cum in eadem Conſtitutione §. 10. diſponatur, quod Epiſcopus Originis teneatur diligenter inquirere, an reſpectu ſuorum ſubditorum alibi ordinatorum forma ſupradictæ Bullæ adimpleta fuerit, cum facultate etiam eos

ab

ab exercitio ordinum ſuſpendendi, in caſu contraventionis: Cumque tempore, quo Clar. Me. Cardinalis de Carpineo, Vicarii munere in Alma Urbe fungebatur, nonnulli Romani contra dictam diſpoſitionem, hoc eſt ad Titulum inſufficientis Beneficii extra Urbem promoti fuerint (quibus tamen ſuſceptorũ Ordinum Exercitiũ ſtatim ac ad Urbem regreſſi ſunt, idem Vicarius interdixit, nec abſolutionis, & habilitationis gratiam reportarunt, niſi poſt habitam plenam congruam.) Hinc ad obviandum hujuſmodi fraudibus, ex tunc mandavit, ne inpoſterum dictæ Teſtimoniales expediantur, niſi prius, media atteſtatione Epiſcopi Beneficii, conſtare fecerit promovendus ſufficientiam Beneficii, nempe juxta Taxam Synodalem loci Beneficii, ſi Beneficium, erit reſidentiale, ſi autem ſimplex juxta taxam Romanam.

Quod in praxi ubique locorum ſervandum eſſe, poſtea declaravit Sac. Congregatio Concilii *in una Alatrina* tenoris ſequentis.

## *Alatrina.*

D*Amianus Antonius Benedictinus Clericus Romanus poſſidens in Diæceſi Ala-*

*Alatrina Beneficium Eccleſiaſticum, inſtetit pœnes Epiſcopum, ut eum ad Sacros Ordines promoveret ad titulum dicti Beneficii, ſed rejectus fuit ſub prætextu, quod licet redditus dicti Benenecficii ſint ſufficientes juxta morem Regionis, et Synadalem Taxam Alatrii, nihilominus Orator promoveri non poſſit, niſi cum ſufficienti congrua, juxta morem Romanum, cum ipſe natus, educatus, et uſque adhuc ſit ſemper commoratus in Urbe. Unde dictus Damianus innixus Claræ diſpoſitioni Conſtitutionis S. M. Innocentii XII. §. 5. Supplicat declarari.*

*An Congrua ſufficiens in præſẽnti caſu ſit conſtituenda juxta morem Regionis loci originis, ſeu potius juxta morem loci, in quo Beneficium eſt fundatum.*

Die 9. *Julii* 1701. *Sacra Congregatio Concilii &c. audita relatione Epiſcopi &c. inſtantiam rejecit, et cenſuit, Patrimonium conſtituendum eſſe juxta Stylum Romanum.*

Quod etiam eadem Sacra Congregatio Concilii declaravit in alia *Ariminen.* 19. *Januarii* 1705. & confirmavit recens Concilium Romanum *Tit. 6. de ætate, et qualitate præficiendorum cap.* 4.

NO-

## NOTA SECUNDO.

OB cauſam ſupra enunciatam, ſcilicet, ne Vicarius Urbis, malè promotos, ab exercitio Ordinum ſuſceptorum ſuſpendere cogatur, idem Cardinalis de Carpineo (ut regiſtratum reperitur in Libro, cujus Titulus *Jura Vicariatus Tom.* 1. ubi agitur de Sacramento Ordinis) mandavit, ut ante expeditionem Teſtimonialium pro Romanis, qui ratione Domicilii in aliena Diæceſi promoveri petunt, exhiberi debeat fides, ſeu Teſtimonialis Epiſcopi Domicilii, in qua teſtetur, promovendum inibi Domicilum verè, & legitimè contraxiſſe, juxta formam Conſtitutionis Innocentianæ, ac Juramentum emiſiſſe, ſe verè, & realiter habere animum ibidem perpetuò permanendi.

## NOTA TERTIO.

NOn ſufficit autem Teſtimonialis quæcumque, ut quis in aliena Diæceſi ratione Beneficii, vel Domicilii promoveri poſſit, ſed omninò requiritur ſpecialis Teſtimonialis, quemadmodum reſolutum fuit a Sacra Congregatione Concilii, ſub die 8. Auguſti 1733. Conquiſitus enim fuerat apud dictam Sacram Congregationem Epi-

Epiſcopus Pientinus, quod Clericum Laurentium Medicheſchium ſibi, & originis, & Domicilii jure ſubditum, ſine litteris Teſtimonialibus, ad omnes Sacros Ordines evexerit Epiſcopus Ilcinenſis.

Iſte interrogatus per litteris Sacræ Congregationis, reſpondit ſupradictum Laurentium verè obtinuiſſe litteras Teſtimoniales tenoris ſequentis: *Taſtamur Clericum Laurentium Medicheſchi Noſtræ Diæceſis, in Minoribus Ordinibus conſtitutum, nullo Excommunicationis, Irregularitatis, aut cujuſvis alterius canonici impedimenti vinculo, ſaltem quod ſciamus, innodatum exiſtere, neque ullo crimine poſtulatum, ſed eſſe bonis, & honeſtis moribus præditum, ac talem, qualem in ſortem Domini vocatos decet.*

At Epiſcopus Pientinus negabat, has Literas Teſtimoniales fuiſſe traditas Laurentio ea mente, ut iis uti poſſet ad Sacros Ordines ſuſcipiendos ab alio Epiſcopo; ſed eas tales inquit fuiſſe, quales generatim concedi ſolent quibuſcumque Clericis è Diæceſi diſcedentibus; aliam verò peculiarem eſſe formulam, qua concipi ab Epiſcopis ſolent Literæ Teſtimoniales pro evectione ad Sacros Ordines, ut apud *Monacell. for. Eccleſ. tom.* 1. *tit.* 4. *formul.* 9. *pag.* 82. &

*82. & apud Lamerez. in commentario Bullæ Speculatores pag. 49. n. 344.*

E contra Epiſcopus Ilcinenſis putabat, per eas literas ſatisfactum fuiſſe præſcripto Bullæ Innocentianæ. Et licet non haberetur in iis teſtimonium de legitimis natalibus Laurentii ( id quod etiam requirit memorata Bulla ) reſpondit tamen, hoc fuiſſe pro certo habendum, cum ageretur de Clerico, quem ex ipſis literis conſtabat jam fuiſſe ab Epiſcopo Pientino ad Minores Ordines promotum. Quare propoſitum fuit dubium.

*An Literæ Teſtimoniales, quas idem Laurentius impetravit ab Epiſcopo Pientino, fuerint ſufficientes ad licitam Ordinationem.*

Et quamvis Sacra Congregatio ſub die 18. Julii 1733. affirmativè reſpondendum cenſuiſſet, nihilominus, cum in utramque partem gravia eſſent momenta rationum, & plures ex Eminentiſſimis PP. opinione diſcrepaverint; ideo denuò in Congregatione ſub die 8. Auguſti 1733. eodem dubio propoſito, à deciſis receſſit, ac per conſequens, præfatas Teſtimoniales a Laurentio, ut ſupra impetratas, omninò inſufficientes ad licitam Ordinationem declaravit.

Et

Et quidem juremeritò; nam primo in dictis Literis deeſt teſtimonium de natalibus; Illegitimus quippe eſt irregularis, nec promoveri ad ordines debet, juxta Sanctionem Bonifacii XIII. *in cap.* 1. *de fil. Præsbyt. in* 6. Neque verò minus neceſſaria cenſeri poterat teſtificatio de legitimis natalibus Laurentii, propterea quod ex Literis ipſius conſtaret, eum jam fuiſſe in minoribus conſtitutum. Siquidem præcedens minorum ordinum ſuſceptio non ſatis per ſe probat, Clericum ex juſtis nuptiis procreatum fuiſſe, cum illegitimus poſſit ab Epiſcopo per diſpenſationem effici habilis ad ordines dumtaxat minores, juxta citatum *cap.* 1. *de fil. Præſby. in* 6. Quamobrem oportebat proferri teſtimonium de legitimis natalibus, ut Laurentius a minoribus ordinibus, quos Epiſcopus Pientinus ei contulerat, evehi poſſet ad Sacros, utque Epiſcopus Ilcinenſis per illud medium, quod Bulla Innocentiana præſcribit, compertam haberet hujuſmodi conditionem; vel ſi ea deeſſet, juberet prius doceri de impetrata Apoſtolica diſpenſatione.

Secundo. deſideratur in eiſdem literis teſtimonium de ætate, ut certus reddatur Epiſcopus ordinans de ætate, juxta Triden-

tinas leges idonea ad ſingulos Sacros Ordines. Quamquam verò aliis documentis perfici utraque probatio potuerit, non ſatis tamen iis confidiſſe cenſetur Bulla Innocentiana, cum alienus Epiſcopus decipi falſis documentis valeat ( ut non rarò accidit ) ac idcirco requiſiviſſe videatur Pontifex teſtimonium Epiſcopi, tàm originis, quam Domicilii, quippe qui non tàm facile falli poſſunt circa homines jam ſibi notos, ſuæque juriſdictioni ſubiectos.

Tertio. eſt animadvertendum, quod de vita, & moribus Laurentii, non fuit edita teſtificatio ſpeciatim, ad effectum promotionis ad Ordines Sacros. Multum verò intereſt inter eam vivendi rationem, ac diſciplinam, quæ ſatisfaciat ſtatui minorum ordinum, & aliam, quam expoſcit Superior gradus, ſive Subdiaconi, ſive Diaconi, ſive Præsbyteri. Itaque Sac. Concilium Tridentinum diſcriminatim, habitoque peculiari reſpectu, tàm ad Ordines minores, quàm ad ſingulos majores, exigit peculiare teſtimonium de morum conditione, & vitæ inſtituto iis gradibus conſentaneo, ut videre eſt *in cap.* 5 7. 8. 12. 13. *&* 14. *ſeſſ.* 23. *de Reform.* & notat Fermoſin. *ad Tit. de ſcrut. in Ord. facien. q.* 1. ac longè uberius loculentiuſque Hallier *de*

*Sac.*

*Sac. elect. & ordin. Tit. de variis teſtimoniis Ordinandorum Art. 2. a pag. 45. ad 68.*

Tametſi igitur Conſtitutio Innocentiana expreſsè non præcipiat, ut teſtimonium ab Epiſcopo originis, & Domicilii obtinendum de vita, & moribus Clerici, qui ad minores ordines promoveri ab alio Epiſcopo cupiat, ſit conceptum relatè ad effectum ſuſcipiendi eoſdem ordines, hanc tamen verè fuiſſe mentem Legiſlatoris coniicitur ex natura rei, de qua agebatur; nam cum hęc regula ibi ſtatuątur ſervanda præciſè ad effectum Ordinationis, & ad hoc, ut Epiſcopus, Sacerdotio initiaturus novum, recentemque ſubditum ratione Beneficii, & antea ſibi minimè notum, certus reddi poſſit, quod mores ejuſdem Ordinandi reſpondeant Sanctitati gradus ſuſcipiendi, planè ſequitur, eo animo fuiſſe Innocentium Pontificem, ut literæ Teſtimoniales vitam, moreſque Clerici commendent, non abſolutè, & ſimpliciter, ſed relatè ad omnes Sacros Ordines, ad quos optet quis promoveri, & quibus ut initietur, idoneum, dignumque eum eſſe per tales literas debet comprobari; ideoque iubet etiam Pontifex de eiſdem literis teſtimonialibus expreſſam fieri mentionem in collatorum ordinum teſtimonio.

Satis itaque conſtat literas teſtimoniales morum, ut Sacro Concilio Tridentino ſatisfaciant, eo ſpectare, ac tales eſſe oportere, ut probatum, teſtatumque reddant vitæ meritum, idoneum ad tales ordines ſuſcipiendos, prout ſingulos eorum gradus decet. Si verò teſtimonium a Tridentina Synodo requiſitum tale eſſe debet, ut reſpectum habeat ad eos ordines, quibus inaugurandus quis ſit, certè non aliud fieri poteſt judicium de forma, & qualitate literarum teſtimonialium, de quibus loquitur Bulla Innocentiana, quæ prodiit ad redintegrandam, firmiuſque retinendam diſciplinam à Tridentinis Patribus conſtitutam.

Hoc ipſum confirmat conſuetudo apud Epiſcopos vigens, nimirum, ut literæ teſtimoniales, quibus Clericus uti intendat ad Suſcipiendos ab alio Epiſcopo ulteriores ordines, id peculiariter declarent, & ſingula recenſeant ad hunc effectum opportuna. Formulam hoc modo compoſitam, & in Hiſpanis Regnis ſervatam refert Lamperez *in Comment. ad Bullam Speculatores part. 39. n. 344.* & ego tranſcripſi cap. I. adnotatione XI. eamdem quoque, voluti uſitatam in Epiſcopatibus Italiæ tradit *Monacell. in formul. For. Eccleſ.*

Tom.

*Tom.* 1. *Tit.* 4. *formul.* 9. *pag.* 82. Aque idipſum deduci videtur ex citato Concilio Romano *Tit.* 6. *cap.* 4. ubi agens Pontifex de hujuſmodi literis teſtimonialibus ſic concludit. *Neque Teſtimoniales Litteræ ullatenus concedi volumus, niſi prævio antedicto examine habiles ad ordines approbari meruerint*; ut ſcilicet ſignificaretur teſtificationem reſpicere debere ſpeciatim habilitatem ad talem, vel talem Ordinem.

Et re quidem ipſa exemplum Literarum Teſtimonialium, quæ in Secretaria Tribunalis expediuntur eſt hoc.

*Cum N. N. natus in Vrbe per accidens, a R. P. D. Epiſcopo N. N. ſuo Ordinario ad primam Clericalem Tonſuram* (ſive minores, ſive Sacros Ordines de quibus fit mentio) *promoveri cupiat, propterea a* Nobis *Teſtimoniales literas ſuper ſuis natalibus, ætate, vita, & moribus, ad formam Conſtitutionis S. M. Innocentii XII. quæ incipit* Speculatores; *humiliter requiſivit; Hinc tenore præſentium notum facimus, & atteſtamur, prædictum* N. N. *ex legitimo matrimonio natum fuiſſe in hac Alma Vrbe die &c. Auguſti &c., & Baptizatum die &c. in Parochiali Eccleſia* N. N., *Sacro Chriſmate confirmatum in Sacroſancta Lateranen. Baſilica, & in propria Parochiali*

*Eccleſia* S. N. *tribus diebus Feſtivis de præcepto proclamatum, nullius cenſuræ vinculo, nec alio canonico impedimento, quo a ſuſcipienda dicta* Clericali *Tonſura* (ſive minoribus, ſive Sacris Ordinibus) *arceri, aut retineri poſſit* (*quod Sciamus*) *irretitum eſſe per totum tempus, quo in Urbe moras traxit, nempe ab ejus nativitate, uſque ad menſem &c. anni &c. ſed fuiſſe, & eſſe in ſtatu libero, & ſoluto, bonis, vita, moribus, & fama imbutum, prout ex legitimis Documentis in Secretaria* Noſtri *Tribunalis conſtare fecit. In quorum &c.*

## NOTA QUARTO.

EX dictis infertur, Literas Teſtimoniales eſſe longe diverſas a literis Dimiſſorialibus; nam literæ Dimiſſoriæ exprimunt traditam facultatem, ut alter Epiſcopus poſſit Clericum illum ad Ordines promovere. Literæ autem Teſtimoniales non hanc facultatem impertiuntur, quia ſupponitur facienda ordinatio ab alio Epiſcopo, non indigente traditione hujus facultatis, ſed ea potituro jure ſuo, ſolumque continent teſtimonium, quod Clericus promovendus, ſit dignus, cui tales ordines conferantur, uti formulas utriuſque generis ſupra recenſitas inſpicienti patebit.

NO-

Digitized by Google

## NOTA QVINTO.

INfertur etiam ex dictis, Literas Teſtimoniales, quæ expediuntur a Notariis Tribunalis Vicariatus Urbis, & ſubſcribuntur a R. P. D. Viceſgerente, in quibus nullus exprimitur reſpectus promotionis ad ordines, ſed tantum aſſeritur Clericum non fuiſſe inquiſitum, proceſſatum, aut excommunicatum, ſed bonis, vita, & moribus &c. ad ſuſcipiendos ab alio Epiſcopo ordines, eſſe omninò inſufficientes, & Bullæ Innocentianæ adverſantes.

## NOTA SEXTO.

LIcet Bulla Innocentiana, ubi agit de fortuita nativitate, non requirat Literas Teſtimoniales cujuſcumque Epiſcopi, in cujus Diæceſi moram aliquam fecerit is, qui eſt promovendus ad ordines, ſed ejus tantum Epiſcopi in cujus Diæceſi fortuito natus ille fuerit, protracta deinde mora in tempus idoneum ſubeundo alicui impedimento canonico, ut ex ſequentibus verbis dictæ Bullæ: *Quod ſi quis tanto temporis ſpatio in eo loco, in quo ex accidenti natus eſt, moras traxerit, ut potuerit ibidem canonico aliquo impedimento irretiri,*

*tunc etiam ab Ordinario ejus loci Literas Teſtimoniales obtinere, illaſque Epiſcopo Ordinanti per eum in collatorum ordinum teſtimonio ſimiliter recenſendas præſentare teneatur*: Nihilominus in utroque caſu requiruntur Teſtimoniales, cum par, atque eadem ratio vigere videatur; nam circumſtantia fortuitæ nativitatis, quæ ibi commemoratur, nihil refert quo ad Scopum legis; Sed ejus vis tota verſatur in commoratione deinde facta per ſpatium temporis aptum ad impedimentum contrahendum. & ita cenſuit *Sac. Congregatio Concilii in una Aſculana, ſive Montis Alti Ordinationis. Sub die 7. Februarii* 1733.

CA-

# CAPUT DECIMUM-SEXTUM.

## Pro Clericis exteris in Urbe degentibus, & extra Urbem promoveri volentibus.

CLerici ultra quatuor Menſes in Urbe commorantes, extra Urbem ad Ordines promoveri minimè poſſunt, etiam vigore Dimiſſorialium ſuorum Ordinariorum, vel cujusvis alterius facultatis, niſi prævio examine ab examinatoribus Urbis fuerint approbati, & licentiam a Cardinali Vicario obtinuerint, alias ſuſpenſionem Papæ reſervatam eo ipſo ſunt obnoxii, *ex Edictis ſummorum Pontificum Clementis VIII. & Alexandri VII. ſub diebus* 24.

*No-*

*Novembris 1603. & 15. Maji 1664.*

Qui autem dicantur Clerici in Urbe degentes, quaſque conditiones ſervare debeant, tùm quoad examen circa ſcientiam, tùm quoad Beneficium &c. ſatis declaratum fuit ſequenti Decreto Congregationis particularis deputatæ ab eodem Alexandro VII. anno 1668. regiſtrato in libro Bandimentorum ab anno 1662. uſque ad annum 1673. fol. 221. in Secretaria Tribunalis.

## *Dubia, & Declarationes circa Ordinandos extra Urbem.*

*In Congregatione particulari de mandato SSmi, habita coram Emo Domino Cardinali Vicario ſuper Edictis, ne Clerici in Vrbe degentes, extra Vrbem ſe promoveri faciant, niſi in Vrbe examinati, & approbati.*

*Ab Illmis, & Rmis Dominis.*

*D. Archiepiſcopo de Angelis Viceſger.*

*D. Archiepiſcopo de Vecchis.*

D.

*D. De Rubeis.*
*Et ab Adm. RR. PP.*
*De Comitibus Soc. Jeſu.*
*De Lauria Ordin. Min. Conventualium.*

## Fuerunt diſputata infraſcripta Dubia, & reſoluta, ut infra.

1. *Qui dicantur Clerici in Urbe commorantes, ad hoc ut in præfato Edicto comprehendantur.*

℞. *Qui habitant in Urbe, & in ea ſaltem per quatuor Menſes moras traxerint.*

2. *An Clerici in Urbe commorantes, accedentes ad proprium Ordinarium, & ab eo ſuſcipientes Ordines, abſque eo, quod examinati fuerint in Urbe, afficiantur Edicto ſupradicto.*

℞. *Non afficiuntur Edicto, ſi ab ipſomet Ordinario ſuſcipiant Ordines, ſecus ſi ab alio ordinentur, etiam vigore Dimiſſorialium proprii Ordinarii.*

3. *Clerici in Vrbe commorantes, & ab Examinatoribus Vrbis rejecti, recipientes Ordines a proprio Ordinario, an incidant in pœnas Edicti.*

℞. *Clerici ab Examinatoribus Eminentiſſimi Domini Cardinalis Vicarii reprobati,* in-

*incidunt in pœnas Edicti, etiamſi a proprio Ordinario approbati, ab eodem ſuſcipiant ordines.*

4. *An Clerici in Vrbe commorantes poſſint ordinari etiam ab Epiſcopis Domicilii, Beneficii, & ab eo, cui triennale ſervitium perſonaliter præſtiterunt, ad formam Sac. Concilii Tridentini, Seſſ. 23. cap. 9. de Refor. abſque eo quod prius examinati, & approbati fuerint ab Examinatoribus Vrbis juxta ſupradictum Edictum.*

℞. *Clerici in Vrbe commorantes, benè recipiunt ordines ab Epiſcopis Domicilii, Beneficii, & triennalis ſervitii præſtiti, dummodo ab ipſiſmet Epiſcopis ordinentur ad formam Sac. Conc. Trid.*

5. *An Beneficium ad effectus prædictos eſſe debeat tale, ut ex eo Clericus ſuſtentari poſſit, vel ſufficiat etiam Beneficium tenue, dummodo tenuitas Beneficii ſuppleatur per Conſtitutionem Patrimonii.*

℞. *Sufficit etiam Beneficium tenue, dummodo Clericus ad Tit. ſufficientis Patrimonii ordinetur.*

Ho-

Hodie autem huic poſtremi dubii reſolutioni, manifeſtè obſtat Conſtitutio Innocentiana, cujus vigore Beneficium debet eſſe ſufficiens, juxta ſuperiùs dicta.

6. *An ſub illis verbis Edicti*. vel cujuſvis alterius facultatis. *comprehendantur Clerici in Urbe commorantes, qui vigore Brevium Apoſt. extra tempora nuncupat. extra Urbem promoventur.*

℟. *In Edicto præfato comprehenduntur etiam Clerici, qui vigore Brevium extra tempora nuncupatorum, extra Urbem promoventur.*

*Et facta relatione Sanctiſſimo de prædictis dubiis, eorumque reſolutionibus, Sanctiſſimus, prædictas reſolutiones benignè approbavit, eaſdemque in poſterum ab omnibus ſervari mandavit.*

*J. de Angelis Archiepiſcopus Urbinaten. Viceſgerens.*

At quia præmemoratis Edictis, ac declarationibus non obſtantibus, nonnulli Clerici ad declinandas providas Ordinationes, a Sanctiſſimo Domino Noſtro preſcriptas in Edicto edito ſub die 2. Decembris 1740. quem in initio hujus libri retuli-

limus, poſt moram quatuor Menſium in Vrbe habitam, non præmiſſo in eadem Vrbe examine, minuſque obtenta ab Eminentiſſimo Vicario licentia, extra eamdem Vrbem ordines ſuſcipere, non ſunt veriti, ideo idem Sanctiſſimus D. N. BENEDICTUS XIV. eoſdem Edictos, ac reſpectivè declarationes in iis, quæ Conſtitutioni Innocentianæ non adverſantur, noviſſimè confirmavit, & innovavit alio edicto, quem pariter in principio hujus libri per extenſum retulimus.

Qui igitur contra formam prælaudati Edicti, extra Romanam Curiam ad ordines promoventur, perpetuam ſuſpenſionem Apoſtolicæ Sedi reſervatam, ipſo facto incurrunt, & ſi in ſuſceptis ordinibus miniſtraverint, etiam Irregularitatem contrahunt. Abſolutio autem ab hujuſmodi ſuſpenſione, & reſpectivè diſpenſatio ab Irregularitate, antiquitus per Literas Apoſtolicas in forma Brevis concedebatur, ut ex libris Decretorum Secretariæ Tribunalis apparet; At non paucis ab hinc annis ad Sacram Congregationem Concilii recurſus habetur, a qua, audita prius informatione Eminentiſſimi Vicarii, eidem Vicario abſolutio, & reſpectivè diſpenſatio committitur. Recurri etiam ſolet ad Sum-

Summum Pontificem, qui pariter hujuſmodi cenſuræ abſolutionem, & Irregularitatis diſpenſationem eidem Vicario remittit, a quo tamen de ſtylo non abſolvuntur recurrentes, niſi prævio eorum examine, coram Examinatoribus Urbis idonei reperti, & approbati fuerint, ac exercitiis Spiritualibus in Domo Miſſionis per decem dies continuos vacaverint.

Quod ſi quis poſtquam in eadem Alma Urbe ultra quatuor Menſes commoratus fuerit, negociis, ſeu ſtudiis abſolutis, Patriam repetit, non ad finem præcisè ſuſcipiendi Ordines, ſed animo inibi permanendi, poterit in eo caſu, proprio Ordinario impedito, vel ordinationes non habente, cum litteris Dimiſſorialibus ejuſdem, a quocumque alio Catholico Antiſtite, gratiam, & communionem Sanctæ Sedis Apoſtolicæ habente, & in ſua propria Diæceſi reſidente, vel in Aliena de Ordinarii loci conſenſu, extra Romanam Curiam licitè promoveri, quin pœnas in præmemorato Edicto inflictas, tàm ipſe, quàm Epiſcopus ordinans incurrant, & ratio, quia in eo caſu, neque fraus neque dolus ullo modo interveniunt. Præterquamquod eſſet lex nimis dura, & gravoſa, ſaltem reſpectu Ultramontanorum, ſi poſt moram per di-

dictum tempus in Vrbe habitam, quocumque futuro tempore ( proprio ordinario legitimè impedito, vel ordinationes per ſeipſum agere non valente, uti ſunt omnes Abbates, & Priores, qui licet concedere poſſint litteras Dimiſſorias ad Ordines, ipſos tamen Ordines, ſaltem ſacros, per ſe ipſos conferre non valent, ſed ad Epiſcopos viciniores, vel etiam ad alios, juxta Apoſtolica Privilegia, proprios Subditos dimittere tenentur ) ad Urbem accedere pro ſuſcipiendis Ordinibus omninò obligarentur: neque credendum eſt, quod Summi Pontifices ad hoc hujuſmodi promovendos, cum tanto incommodo, ac diſpendio obligare voluerint.

Advertendum tamen eſt, quod ſub hac lege non comprehenduntur Regulares, multoque minus laici, cum de his nulla in Edictis mentio fiat; Unde qui prima Clericali Tonſura inſigniti non ſunt, etiam ſi in Urbe ultra quatuor Menſes, & per quodcumque aliud tempus permanſerint ſupradicta lege non afficiuntur.

CA.

Digitized by Google

# CAPUT DECIMUM-SEPTIMUM.

## Referũtur Privilegia Apoſtolica circa Ordinationem, nonnullis Perſonis, ac Collegiis Urbis, à Summis Pontificibus reſpectivè conceſſa.

I. INter alia Privilegia, quæ ſolent Summi Pontifices Familiaribus ſuis concedere, eſt etiam Privilegium, ut à quocumque, quem maluerint Catholico Antiſtite, intra, vel extra Romanam Curiam, etiam abſque literis Dimiſſorialibus ſuorum Ordinariorum, ad Minores, & Sacros Ordines promoveri valeant, etiam extra tempora, ut ex ſequenti §. deſumpto ex ſolito libello Typis impreſſo, in quo omnia Privilegia dictis Familiaribus conceſſa recenſentur. §. 8. *Ac interim, vel poſtmodum, ſi volueritis, hic in Romana*

*Curia, vel extra eam, a quocumque malueritis Catholico Antiſtite, gratiam, et communionem ejuſdem Sanctæ Sedis habente, quem duxeritis eligendum, ad omnes, etiam Sacros, et* Præsbyteratus *ordines aliquibus tribus Dominicis, vel aliis Feſtivis diebus, etiam extra tempora a jure ſtatuta, proprii Ordinarii, aut cujuſvis alterius licentia deſuper minimè requiſita, ſi alias idonei ad id reperti fueritis (ſuper quo Antiſtitis conſcientiam oneramus) promoveri, et promoti in illis, etiam in Altaris Miniſterio Miniſtare*. Hujuſmodi autem Privilegium, in Secretaria Tribunalis ſupradicti Familiares exhibere tenentur, quoties ab Eminentiſſimo Urbis Vicario petunt promoveri.

II. Cappellani, ſeu Cantores Cappellæ Pontificiæ, eo quia a Cappellanorum numero amoveri non poſſunt, neque ſolita emolumentorum aſſignatione privari, habent Titulum ſufficientem, & perpetuum, ut ad Sacros Ordines promoveri poſſint. ex Conſtitutione 38. S. M. Sixti V. §. 8. cujus verba ſunt hæc: *Præterca ſtatuimus, et Ordinamus, ut illi ex Cantoribus* Cappellanis *prædictis, qui ſpatio viginti quinque annorum* Cappellæ *prædictæ deſervierint, ex tunc de cetero ab omni il-*

*lius*

*lius onere, et ſervitio ſint, et eſſe cenſeantur excuſati, exempti, et liberati, neque ipſi, nec alii quicunque eorumdem Cantorum Cappellanorum, quos deinceps gravi ægritudine, aut corporis, ſeu vocis imbecillitate, vel alio legitimo impedimento detineri contigerit, ab ipſo Collegio, illiuſque Cantorum Cappellanorum numero, et conſortio amoveri, neque alii in eorum locum ſubrogari ullatenus poſſint, niſi eis prius de æquivalenti recompenſa fuerit omninò proviſum, etc.*

III. Collegiales, ſeu Alumni Collegii Capranicenſis Urbis promoveri poſſunt, immò debent ad Sacros Ordines, Titulo Beneficii, vel Patrimonii, juxta Conſtitutionem 25. S. Pii V. quæ incipit. *Motu proprio*, & verba ſunt; *Et in eventum, quod poſſint apparere habiles, et idonei ad ſuſcipiendos Sacros Ordines, tunc vel ad Tit. Beneficii, quod eis conferretur, vel* Patrimonii, *quod habere eos probabitur, teneantur omninò promoveri ad dictos Ordines etc.*

Et pro obſervantia dictæ Conſtitutionis Apoſtolicæ, quilibet Scholaris, ipſamet die admiſſionis in præfato Collegio, emittere ſolet Juramentum hac formula exprimendam.

Juro, quod ſi habuere ſufficiens Patri-

monium, vel Beneficium ad Sacros Ordines omninò promovebor, juxta præſcriptum C. M. Dominici Cardinalis Capranica, ejuſdem Collegii fundatoris, confirmatum a S. Pio V.

IV. Clerici Adſcripti Hoſpitali S. Gallicani, poſt emiſſum votum perſeverantiæ, promoveri poſſunt ad ordines, Titulo dicti Hoſpitalis. ex Bulla S. M. Benedicti XIII. ſuper erectione dicti Hoſpitalis §. 25. P*orrò Clericis, qui ſenario, ſeu majori numero hujuſmodi adſcripti fuerint, ac ennarratum votum perſeverantiæ emiſerint, ut ipſi ad omnes, etiam Sacros, et Presbyteratus ordines ad Titulum Servitii ejuſdem Hoſpitalis, et Alimentorum eis a dicto Hoſpitali præbendorum, a ſupradicto Vrbis Vicario, ſeu ab eo deputando, ſervatis alias ſervandis, promoveri liberè, et licitè valeant, concedimus pariter, & indulgemus: Ita tamen, ut ſi quem ex taliter promotis, ſive ex gravibus cauſis, & a dicto Cardinali Protectore approbatis, a ſervitio ejuſdem Hoſpitalis dimitti, & a voto perſeverantiæ per eum emiſſo, quomodolibet abſolvi quandoque eveniret, niſi ei de Patrimonio, aut reddit u Eccleſiaſtico ad congruam ſui, juxta taxam, quæ in Vrbe ſervatur, ſuſtentationem ſufficienti, aliunde proviſum ſit, ab*

*exe-*

*executione Sacrorum Ordinum, per eum ad Titulum Servitii hujuſmodi ſuſceptorum ſuſpenſus remaneat.*

V. Alumni Collegiorum Apoſtolicorum de Urbe, nempe Germanici, & Ungarici, Anglorum, Scotorum, Hibernorum, & de Propaganda Fide, promoveri poſſunt ad Sacros Ordines extra tempora, etiam abſque litteris Dimiſſorialibus ſuorum Ordinariorum, & abſque Beneficii, & Patrimonii Titulo, in vim Privilegiorum Apoſtolicorum, ut infra.

Alumni Collegii Germanici, & Ungarici, ex Bulla Gregorii XIII. ſub datum quarto Kal. Aprilis 1584. ut ex ſequenti §. 31. ejuſdem Bullæ: *Qui ex Alumnis Superiorum Iudicio, in pietatis ſtudio, et in Eccleſiaſticis Functionibus benè fuerint verſati, ad omnes Sacros, etiam* Preſbyteratus *ordines promoveantur, etiam ſine literis Dimiſſorialibus ſuorum Ordinariorum, et ſine Titulo Beneficii, aut Patrimonii, etiam extra legitima Ordinationum tempora.*

Eiſdem Alumnis conceſſum fuit Indultum a S. M. Clemente X. non faciendi Publicationes, præmittendas Ordinationibus, in Baſilica S. Joannis in Laterano, & in Parochiali Eccleſia, ſed dumtaxat in propria ejuſdem Collegii Eccleſia, ut ap-

paret ex libro Privilegiorum Secretariæ Tribunalis fol. 97.

Alumni Collegii Anglorum, ex Indultu ejuſdem Gregorii XIII., & ex Conſtitutione Pauli V. ædita anno 1607. confirmatoria ſupradicti Iudulti, cujus verba ſunt.

*Eiſdem Alumnis, de licentia Protectoris, ac Conſenſu Rectoris dicti Collegii, & examine præcedente, & etiam extra tempora a jure ſtatuta, Interſtitiis a Concilio Tridentino hujuſmodi præſcriptis non expectatis, ac etiam abſque ſuorum Ordinariorum Dimiſſorialibus litteris, ac ſine aliquo Beneficii, vel Patrimonii Titulo, & non obſtante quovis natalium defectu, ſuper quo cum talibus diſpenſamus, ad omnes etiam Sacros, & Presbyteratus Ordines promoveri, & poſtquam promoti fuerint in illis, etiam in Altaris Miniſterio Miniſtrare ... liberè & licitè valeant iudulgemus*. Notandum, quod in ſupradicto Indultu, continetur etiam diſpenſatio ſuper defectu Natalium.

Et a S. M. Innocentio XI. Supradictis Alumnis, ſicut etiam Alumnis Collegiorum Hibernorum, & Scotorum, conceſſum pariter fuit Indultum per reſcriptum in quodam ſupplici libello, non faciendi Publicationes in Baſilica Lateranenſi, dum

vo-

volunt promoveri, ſed dumtaxat in propriis Eccleſiis dictorum Collegiorum Urbis, ut ex ſupra citato libro Privilegiorum fol. 43.

Alumni Collegii Scotorum poſſunt, ut ſupra promoveri, vigore Conſtitutionis S. M. Clementis VIII., ac etiam Conſtitutionis S. M. Pauli V. confirmatoriæ ejuſdem, editæ de anno 1603. tertio nonas Septembris, ac eodem prorſus modo, quo promoveri poſſunt Alumni Collegii Anglorum, ut ex ſequentibus verbis primò dictæ Conſtitutionis Clementinæ, relatis in Secundò citata Conſtitutione Pauli V. *iiſdem Alumnis de licentia Protectoris, ac conſenſu Rectoris dicti Collegii, & examine præcedente, & etiam extra tempora a jure ſtatuta, Interſtitiis a Concilio Tridentino hujuſmodi præſcriptis, non expectatis, ac etiam abſque ſuorum Ordinariorum Dimiſſorialibus litteris, ac ſine aliquo Beneficii, vel* Patrimonii *Titulo, & non obſtante quovis Natalium defectu, ſuper quo cum talibus per eaſdem litteras diſpenſavit, ad omnes etiam Sacros, & Presbyteratus* Or*dines promoveri, & poſtquam promoti forent, in illis etiam in Altaris Miniſterio miniſtrare.... liberè, & licitè valerent indulſit.*

 *Item*

Item Alumni Collegii Hibernorum; ut ſupra promoveri poſſunt, etiam tribus diebus Feſtivis continuis, ad Tit. Miſſionis in Hibernia, ex Conſtitutione S.M. Urbani octavi ædita anno 1631. pridie Idus Aprilis, ut ex ſequentibus verbis dictæ Conſtitutionis: *Eiſdem Seminarii Alumnis, nunc, & pro tempore exiſtentibus, ut a Dilecto Filio Noſtro, ac pro tempore exiſtentis Romani Pontificis in dicta Urbe, ejuſque diſtrictu Vicario in Spiritualibus Generali, etiam pro tempore exiſtente, ſeu per eum deputato, ſeu deputando, in eadem tamen Urbe exiſtente Antiſtite, etiam abſque litteris Dimiſſorialibus ſuorum propriorum Ordinariorum, ſed cum litteris Teſtimonialibus pro tempore exiſtentis dicti Seminarii Rectoris, ipſorum Alumnorum, vitam, mores, & probitatem commendantibus, Clericali Charactere inſigniri, & deinde unica, ſeu quatuor feriatis, vel non feriatis, ad quatuor Minores, nechon poſtea tribus Dominicis, ſeu aliis de præcepto Eccleſiæ Feſtivis diebus continuis, vel interpolatis, ad Sacros Subdiaconatus, Diaconatus, &* Presbyteratus *Ordines, etiam abſque Titulo aliquo Beneficii Eccleſiaſtici, vel Patrimonii, ſed ad Titulum Miſſionis in Hibernia tantùm, etiam extra tempora ad id a Jure ſtatuta,*

*& in-*

*& intra annum, annique curriculo non expectato, minuſque ſervatis ad id a Concilio Tridentino deſignatis Interſtitiis; dummodo tamen dicti Alumni pro tempore promovendi, ad id reperiantur idonei, ac donec Regnum Hiberniæ ad gremium ejuſdem S. R. E. redierit, & non alias promoveri, & promoti in illis, etiam in Altaris Miniſterio miniſtrare liberè, & licitè valeant; Apoſtolica Auctoritate, tenore præſentium de ſpeciali gratia indulgemus .... Non obſtan. quod ipſi Alumni antequam de uno ordine ad alium promoveantur, ſe in alio, vel aliis antea ſuſceptis Ordinibus, minimè exercuerint. &c.*

Supradictum Indultum confirmatum fuit a S. M. Innocentio XII. poſt Decretum Congregationis deputatæ ſuper moderatione Indultorum extra tempora, ab eodem Pontifice, ſub die 14. Decembris 1693. approbatum, ut apparet ex ſequenti reſcripto, quod in Secretaria Tribunalis in libro Ordinationum Generalium incipien. ab anno 1682. fol. 1. reperitur: *Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus D. Sperellus de Sperellis Epiſcopus Interamnen. Viceſgerens, facto Verbo cum Sanctiſſimo D. N. Innocentio XII. die 24. Auguſti 1696. aſſeruit, eumdem Sanctiſſimum Dominum annuiſſe,*

*ut.*

*ut Alumni prædicti promoveri poſſint tribus diebus Feſtivis continuis de præcepto, ad formam Privilegiorum, non obſtante* Decreto *per Sanctitatem Suam lato annis Elapſis.*

Denique Alumni, & Convictores, aliique Collegii de Propaganda Fide, poſt triennium, ſimili modo promoveri poſſunt tribus diebus Feſtivis, etiam continuis. ex Brevi S. M. Urbani VIII. ſub datum die 18. Maii 1638. per hæc verba: *Ejuſdem* Congregationis *Alumnis, & Convictoribus, & aliis, qui quoquomodo ad inſtantiam ejuſdem Congregationis in præſentiarum, Romæ, vel alibi educantur, & in futurum educabuntur, ut abſque litteris Dimiſſarialibus ſuorum Ordinariorum, & etiam ſine Titulo Beneficii Eccleſiaſtici, aut Patrimonii, ſed ad Titulum Miſſionis a quocunque, quem maluerint Catholico Antiſtite, gratiam, & Communionem Apoſtolicæ Sedis habente, in ſua Diæceſi reſidente, vel in aliena, de* Diæceſani *loci licentia Pontificalia exercente, ad quatuor Minores, etiam unico feſtivo, vel feriato, necnon etiam ad* Sacros, *& Presbyteratus ordines, tribus Dominicis, ſeu aliis Feſtivis, & continuis, vel interpolatis diebus, etiam extra tempora ad id a Jure ſtatuta, & non ſervatis Interſtitiis a Sacro Concilio Tridentino deſigna-*

gna-

*gnatis, annique currriculo non expectato, etiam ſi antequam de uno ad alium ordinem promoveantur, in primo quoque ſuſcepto Ordine, ſe minimè exercuerint, aut alicujus Eccleſiæ ſervitio adſcripti non ſint, dummodo tamen ſint ætatis legitimæ, ac alias idonei, & per triennium continuum fuerint ejuſdem* Congregationis *Alumni, ſeu Convictores, aut ad illius inſtantiam educati, & denique habeant literas Teſtimoniales Rectorum, aut eorum, apud quos educantur, & inſtruuntur de eorum vita, & moribus, & in Scientiis profectibus, nec eis aliud Canonicum obſtet impedimentum, promoveri, & promoti in illis, etiam in Altaris Miniſterio miniſtrare liberè, & licitè poſſint, & valeant, Apoſtolica Auctoritate tenore præſentium concèdimus, et impertimur. &c.*

Et a S. M. Clemente XI. obtinuerunt Indultum non faciendi Publicationes in Baſilica S. Joannis in Laterano, ut ex ſequenti reſcripto: *Die 6. Septembris* 1714. *Ex audientia Sanctiſſimi; die dicta, Sanctiſſimus annuit, ut Alumni Collegii de Propaganda Oratores, in Alma Urbe promovendi, faciant Publicationes Ordinationibus præmittendas, in propria Collegii Urbani Eccleſia dumtaxat, ut alias a S. M. Clemen-*

*te*

*te X. Alumnis Collegii Germanici, et a S. M. Innocentio XI. Alumnis Collegiorum Angliæ, Hiberniæ, et Scotiæ indultum fuit.*

*N. Archiepiſcopus Capuæ Viceſgerens.* prout in aliàs citato libro Privilegiorum Secretariæ Tribunalis fol. 50.

Circa Ordinationes Alumnorum Collegii Græci, & Collegii Maronitarum, eorumque Privilegia. vide Cap. XIII. de Orientalibus, in fine adnotationis tertiæ, & in principio adnotationis quartæ.



Digitized by Google

# CAPUT DECIMUM-OCTAVUM.

## Interrogationes ſelectæ, ac reſponſiones, pro examinandis ad primam Tonſuram, Minores, & Sacros Ordines.

### *Pro prima Tonſura.*

DE prima Tonſura hæc habet; *Tridentinum Seſſ.23.cap.4.de Refor.* Prima *Tonſura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non ſuſceperint, & fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere, & ſcribere neſciant, & de quibus probabilis conjectura non ſit, eos non ſæcularis Judicii fugiendi fraude, ſed ut Deo fidelem cultum præſtent, hoc vitæ genus elegiſſe.*

1. Quæ-

1. Quænam requiruntur ad primam Tonſuram? *Reſp.* Aliqua requiruntur ad validam receptionem Tonſuræ, aliqua ad licitam: Ad validam receptionem requiritur ex parte ſubiecti ſexus Maſculinus, Baptiſmus, uſus rationis, & voluntas recipendi primam Tonſuram; Ad licitam ſuſceptionem requiruntur Sacramentum Confirmationis, legitima ætas, non eſſe irregularem, vel alio impedimento canonico irretitum, ſufficiens literatura, intentio ſerviendi Deo, ita ut non ſuſcipiatur tantùm ex cauſa declinandi forum Sæculare.

2. Qui ſine Sacramento Confirmationis reciperet Tonſuram, peccaret ne? *Reſp.* Peccaret tantùm venialiter, quia Tridentinum hoc non prohibet ſub cenſura, aut alia gravi verborum forma, quæ indicet obligationem ſub mortali.

3. Quænam ætas requiritur ad Tonſuram? *Reſp.* Regulariter ætas ſeptem annorum, quia in hac, cum ut plurimum quis gaudeat uſu rationis, eſt capax eorum, quæ a Concilio requiruntur in tonſurando. Dixi regulariter, quia evenire poteſt, ut illi qui tardioris ſunt ingenii, in hac ætate capaces nondum ſint.

4. Irregularis ſcienter recipiens Tonſu-



Digitized by Google

ſuram in irregularitate, vel alio impedimento canonico peccat ne? *Reſp.* peccat graviter, quia facit contra intentionem Eccleſiæ.

5. Requiritur ne in Tonſurando, ut ſciat legere, & ſcribere lingua latina, & reſpondere interrogationibus circa rudimenta fidei, & officium Tonſurati latinè? *Reſp.* nequaquam; peritia enim linguæ latinæ a Conc. Trid. requiritur pro aliis ordinibus, non pro Tonſura.

6. Quid eſt Tonſura. *Reſp.* eſt quædam diſpoſitio, & præparatio ad Ordines Eccleſiaſticos ſuſcipendos.

7. Quare dicitur prima Tonſura? *Reſp.* dicitur prima, quia ante omnes Ordines primò confertur: dicitur Tonſura, quia in ea tonduntur capilli.

8. Quis inſtituit primam Tonſuram? *Reſp.* Apoſtoli, & primus omnium illam inſtituit D. Petrus in memoriam Spineæ Coronæ Chriſti Domini.

9. Quis eſt finis primæ Tonſuræ? *Reſp.* Primò, deputare Clericum ad cultum Dei, & numerare illum in ſortem Domini: Secundo, diſponere, & præparare ad Ordines.

10. Quæ eſt materia, & quæ forma primæ Tonſuræ? *Reſp.* Tonſura propriè non

Digitized by Google

non habet materiam, & formam; ſed loco materiæ ſunt Capilli, qui tonduntur, loco formæ ſunt verba, quæ in tonſione dicuntur: Scilicet, *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei, tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi*.

11. Prima Tonſura confert ne gratiam Santificantem, & gratiam Sacramentalem, ſicut faciunt Ordines? *Reſp.* minimè, quia prima Tonſura non eſt ordo.

12. Imprimit ne characterem in Anima? *Reſp.* nequaquam, propter eamdem rationem, quia non eſt ordo.

13. Quinam igitur ſunt effectus Tonſuræ? *Reſp.* ſunt illi, qui correſpondent fini Tonſuræ, nempè eſt Clericatus, qui complectitur deputationem ad Servitutem Eccleſiæ, capacitas Beneficiorum, & privilegiorum Eccleſiaſticorum, & Ordinum ſuſcipiendorum.

14. Peccat ne recipiens Tonſuram in lethali? *Reſp.* Peccat tantùm venialiter: cum enim Tonſura non ſit Sacramentum, neque gratiam producat, eam recipiens in lethali non committit tantam irreverentiam, quæ peccato lethali ſit damnanda: ex alia parte indecens eſt, laicum Deo inimicum in ſtatu adeò turpi inter Dei Servos adſcribi, & ideo peccat ſolùm venialiter.

15. Ton-

15. Tonſurandus teneturne recipere Euchariſtiam ea die, qua recipit Tonſuram? *Reſp.* nequaquam, quia nullibi conſtat de hoc præcepto: tùm quia conferri poteſt etiam poſt prandium.

16. Quod eſt officium Tonſurati? *Reſp.* eſt Eccleſiæ inſervire, & canere in ea Pſalmos, ob quam cauſam etiam Pſalmiſta vocatur.

17. Quæ ſunt obligationes Tonſurati? *Reſp.* Incedere in habitu, & Tonſura.

18. Quid venit nomine Tonſurę? *Reſp.* nomine Tonſuræ primariò venit corona, quæ fit per abraſionem Capillorum in medio capitis: Secundario ſub nomine Tonſuræ veniunt Capilli decenter tonſi.

19. Quid ſignificat hæc corona? *Reſp.* ſignificat primò ſpineam coronam Chriſti Domini, ut Clerici ſemper ante oculos mentis habeant ejus paſſionem, cujus ſimilitudinem gerunt in capite: Secundo ſignificat regiam dignitatem Clericatùs; Tertio perfectionem vitæ, quæ Clerico competit; figura enim circularis eſt omnibus Mathematicis figuris perfectiſſima.

20. Cur Clericis fit abraſio Capillorum Summo Capite? *Reſp.* Ut ſciant, Clericos amputare debere ſuperfluas cogitationes, & temporales res eſſe contemnendas:

das; Capilli enim, ſuperflua corporis videntur.

21. Habetne Tonſuratus veſtem Sacram ſibi propriam? *Reſp.* Tonſuratus inſerviens Eccleſiæ, uti poteſt, juxtà Cæremoniale, Birreto, & Superpelliceo.

22. Prima Tonſura confert ne Tonſurato aliqua privilegia? *Reſp.* Confert duo privilegia, nempè Fori, & Canonis.

23. Quid eſt Privilegium Fori? *Reſp.* eſt immunitas, & exemptio à Foro Sæculari; quare tonſurati non ſubiacent Judici laico, neque ab eo examinari, & judicari poſſunt.

24. Quid eſt Privilegium Canonis? *Reſp.* eſt, ut ſi quis, ſuadente Diabolo, Clericum percuſſerit, ſit Excommunicatus.

25. Poſſuntne Clerici renunciare ſuis Privilegiis? *Reſp.* Nequaquam; hoc enim eſſet in prçjudicium Eccleſiæ, cujus ſunt pars.

26. Si Pater percuteret Filium Clericum, incurreretne Excommunicationem? *Reſp.* Negativè, quia non percuteret ſuadente Diabolo, nempe ex ira, vel odio, ſed ad correptionem.

27. Quænam ſunt principalia noſtrę Fidei Rudimenta, quæ Tonſurandus, ex lege Tridentini, ſcire tenetur? *Reſp.* Ea omnia;

Digitized by Google

nia, quæ continentur in Symbolo Apoſtolorum, in Orationibus *Pater noſter*, & *Ave Maria*; inſuper ea quæ continentur in Præceptis Decalogi, in Præceptis Eccleſiæ, & Sacramentis, ac Specialiter ſequentes Actus.

## ATTO DI FEDE.

„ CRedo fermamente, perche così Dio
„ hà rivelato alla Chieſa, e la Chie-
„ ſa ce lo propone, che vi è un ſolo Dio,
„ diſtinto in tre Perſone, Padre, Figliuo-
„ lo, e Spirito Santo, quali tutte, e cia-
„ ſcuna ſono un ſolo Dio, & anno l' iſteſ-
„ ſa eſſenza, e Divinità, la ſeconda del-
„ le quali, per opera dello Spirito San-
„ to, prendendo carne, & Anima huma-
„ na, nell' utero della Beatiſſima Vergi-
„ ne ſi fece Huomo, e morto in Croce,
„ l' Anima fù nel Limbo de Santi Padri,
„ da dove ritornò a riunirſi al Corpo, e
„ riſuſcitò; aſceſe poi al Cielo, di dove
„ verrà per giudicare i vivi, e morti, per
„ dare a Giuſti la vita eterna del Paradi-
„ ſo, & a peccatori l' Inferno. E di più
„ coll' iſteſſo motivo credo tutto quanto
„ crede la Santa Chieſa Romana, Catto-
„ lica, & Apoſtolica.

## ATTO DI SPERANZA.

,, DIo mio, perchè voi ſiete Onnipo-
,, tente, ed infinitamente miſeri-
,, cordioſo, ſpero che per i meriti di Gesù
,, Salvator Noſtro, mi darete la vita eter-
,, na, quale voi fedeliſſimo avete promeſ-
,, ſa a chi farà opere da buon Criſtiano,
,, come io propongo di fare colla voſtra
,, grazia.

## ATTO DI CARITA'.

,, DIo mio, perchè ſiete ſommo, e
,, perfettiſſimo bene, vi amo con
,, tutto il cuore, e ſopra ogni coſa, e piú
,, toſto, che offendervi, ſono diſpoſto a
,, perder ogni coſa; & ancora per voſtro
,, amore, amo il mio proſſimo, come me
,, ſteſſo.

## ATTO DI CONTRIZIONE.

,, SIgnore mio Giesù Criſto, per eſſe-
,, re voi ſommo bene, e perchè vi
,, amo ſopra ogni coſa, di vero cuore mi
,, pento, e mi dolgo di avervi offeſo, e col
,, voſtro Santo ajuto, fermamente pro-
,, pongo di non più peccare in avvenire,
,, e di fuggire ogni proſſima occaſione, di
,, peccato.

AT-

ATTO DI ATTRIZIONE.

„ SIgnore mio Gesù Criſto, di vero
„ cuore, ſopra ogni coſa, mi pento,
„ e dolgo di avervi offeſo, per aver per-
„ duto il Paradiſo, e meritato l'Inferno,
„ e colla voſtra grazia propongo ferma-
„ mente di non più offendervi nell'avve-
„ nire, e di fuggire ogni proſſima occa-
„ ſione di peccato.

## *Interrogationes pro Ordinibus Minoribus in genere.*

Antequam deveniam ad interogationes ſuper quolibet Ordine in particulari, nonnullæ interrogationes ſuper Ordinibus in genere, quæ Minores Ordines petentibus fieri poſſunt, præmittendæ ſunt.

1. QUid eſt ordo? *Reſp.* Ordo eſt ſignaculum quoddam Eccleſiæ, per quod Spiritualis poteſtas traditur ordinato.

2. Eſt ne de fide, in Eccleſia Catholica

dari Ordines Minores? *Reſp.* Utique hoc eſt de Fide, quia Tridentinum Seſſ. 23. cap. 2. dicit Anathema ei, qui dixerit *in Eccleſia Catholica, prater Sacerdotium, non eſſe alios Ordines, et majores, et minores, per quos, velut per quoſdam gradus tendatur in Sacerdotium.*

3. Eſt ne de fide, quod ſinguli Ordines Minores ſint Sacramenta? *Reſp.* Quamvis dicendum ſit ſingulos Ordines Minores eſſe Sacramenta, tamen id non eſt de fide.

4. Cum Ordines ſint ſeptem, & ſinguli ſint Sacramenta, erunt ſeptem Sacramenta Ordinis, quibus ſi adiungantur alia ſex, erunt treſdecim Sacramenta, non tantum ſeptem? *Reſp.* Eſtò ſinguli Ordines ſint Sacramenta, quia tamen ſunt Sacramenta partialia, continentur omnia ſub uno Sacramento, Scilicet ſexto, Ordinis, ſub quo includuntur ſinguli, ut conſtituentes unum totale Sacramentum.

6. Quomodo ſinguli poſſunt conflare unum Sacramentum totale, quandoquidem accipiuntur diverſis, ac diſtinctis temporibus? *Reſp.* Omnes ſimul ſunt unum totale Sacramentum, quia omnes tendunt ad eumdem finem, ſcilicet ad conſecrationem Euchariſtiæ.

6. Quid

6. Quid requiritur, ut validè recipiantur Ordines? *Reſp.* Requiruntur duo, nempe Materia, & Forma, & præterea tertium, ſe habens velut cauſa effectiva, ſcilicet intentio dantis, & recipientis.

7. Quęnam eſt materia Sacramenti Ordinis. *Reſp.* Duplex eſt, alia remota, alia proxima; materia remota eſt res, ſeu inſtrumentum, quod tangendum porrigitur ab Epiſcopo, materia proxima eſt traditio inſtrumenti.

8. Ad validam Ordinationem ſufficit ne tactus moralis Inſtrumentorum, vel requiritur tactus phyſicus? *Reſp.* Requiritur tactus phyſicus, & non ſufficit tactus Moralis.

9. Quænam differentia intercedit inter tactum phyſicum, & moralem? *Reſp.* Dicitur tactus phyſicus, quando verè, ac realiter res tangitur, dicitur tactus Moralis, quando quis fingit tangere, ſed verè non tangit.

10. Quænam eſt forma Ordinum. *Reſp.* ſunt verba, quæ Epiſcopus profert dum porrigit inſtrumenta, & ſunt verba diverſa, juxta diverſitatatem Ordinum.

11. Requiritur ne, quod materia, & forma ſint ſimul, ut validè conferatur ordo, an verò ſufficit, ut immadiatè ante,

vel poſt traditionem, & contactum inſtrumenti proferantur verba? *Reſp.* Requiritur, ut pro aliquo inſtanti phyſico ſimul ſint.

12. Quid eſt intentio ſuſcipiendi Ordines? *Reſp.* eſt actus voluntatis circa finem; eſt ergo actus voluntatis, quo quis intra ſe dicit, volo ordinari.

13. Quotuplex eſt intentio? *Reſp.* Triplex; actualis, virtualis, & habitualis. Actualis eſt actualis volitio, ſeu propoſitum Ordines hic, & nunc ſuſcipiendi. Virtualis eſt volitio antecedens ordinum ſuſceptionem, non retractata, durans, & perſeverans in actibus Ordinatis ad eandem ſuſceptionem. Habitualis eſt habitus, & facilitas faciendi aliquam rem ex conſuetudine, eo modo, quo quandoque etiam faciunt dormientes, & ſtulti, ſine ulla intentione actuali antecedente.

14. Quænam ex iſtis intentionibus requiritur ad validè Ordines ſuſcipendos? *Reſp.* Actualis eſt optima; Virtualis eſt ſufficiens: Habitualis non ſufficit, quia operans ex habitu, humano modo non operatur.

15. Quiſnam inſtituit Ordines. *Reſp.* Chriſtus Dominus, qui etiam determinavit materiam, & formam Ordinum; cære-

re-

remonias tamen, & alia ſervanda in decenti illorum collatione, Eccleſia præſcripſit.

16. Quomodo Chriſtus Dominus materiam, & formam Ordinum inſtituit, cum de facto conſtet, alia materia, & alia forma uti Græcos, alia verò Latinos? *Reſp.* Chriſtus Dominus inſtituit pro Ordinum materia, rem ſignificantem poteſtatem; quam Ordinatus accipit in Ordinatione, & pro forma, verba, quæ exprimant collationem poteſtatis ei communicatæ ab Epiſcopo, & hæc immutabilia ſunt; modus autem exprimendi talem poteſtatem, potuit ab Eccleſia variari; variatio tamen illa eſt accidentalis, non ſubſtantialis.

17. Erit ne Ordinatus validè, qui reciperet Acolythatum ſine aliis Minoribus? *Reſp.* Valida erit hæc Ordinatio, ſed illicita, & ſic Ordinatus dicitur Ordinatus per ſaltum, & Secundum canones remanet ſuſpenſus.

18. Quid ſi Ordinaretur Excommunicatus, Irregularis, vel ſuſpenſus? *Reſp.* etiam iſti validè Ordinarentur, licet illicitè, & graviter peccarent.

Hic aliquo modo, ſaltem in genere ſcire debet Ordinandus, quid ſit Excommunicatio, ſuſpenſio, & Irregularitas. Excommu-

municatio igitur eſt duplicis generis, major, & minor; per minorem Eccleſia privat nos receptione Sacramentorum; per majorem privat receptione, & adminiſtratione; per ſuſpenſionem prohibet exercitium Ordinum receptorum, & per Irregularitatem reddit nos inhabiles ad exercendos ordines quos habemus, & recipiendos quos non habemus.

19. Quot effectus producunt in Anima iſti ordines? *Reſp.* Tres effectus, ſcilicet Characterem, augumentum gratiæ Santificantis, & gratiam Sacramentalem.

20. Quid eſt Character? *Reſp.* Eſt ſignum Spirituale indelibile, impreſſum in Anima, ſignificans poteſtatem, quam recepit Ordinatus, per quod ſignum diſtinquitur Ordinatus, a non ordinato.

21. Confertur ne a ſingulis Ordinibus Character? *Reſp.* Utique, & quilibet eſt diverſus ab alio, juxta diverſitatem poteſtatum, & ſi ordo habet duplicem partialem materiam, confertur in contactu materiæ dignioris.

22. Quare ſinguli Ordines conferunt diverſum Characterem. *Reſp.* Quia diverſam conferunt poteſtatem, quam quilibet Character ſignificat.

23. Quandonam confertur Character? *Reſp.*

*Reſp.* quando materia eſt applicata, & forma completè prolata ab Ordinante.

24. Quid eſt gratia Santificans? *Reſp.* Eſt Donum Dei Santificans Animam, & & reddens illam amicam Dei, & hæredem Paradiſi.

25. Qui recipit ordines debet eſſe conſtitutus in gratia: ergo non recipit gratiam? cum jam habeat? *Reſp.* Utique non recipit primam gratiam, ſed recipit augumentum gratiæ, propterea dixi, quod ordines conferunt augumentum gratiæ Santificantis; omnia enim Sacramenta vivorum habent conferre augumentum gratiæ, ad differentiam Sacramentorum Mortuorum, ſcilicet Baptiſmi, & Pœnitentiæ, quæ conferunt primam gratiam.

26. Quare iſta duo Sacramenta dicuntur Mortuorum, & alia quinque vivorum. *Reſp.* Quia prima duo ſupponunt hominem Spiritualiter mortuum, hoc eſt mortuum gratiæ Dei, & alia ſupponunt hominem Spiritualiter vivum, hoc eſt conſtitutum in gratia.

27. Quid eſt gratia Sacramentalis? *Reſp.* Sunt quædam auxilia, quæ dantur a Deo Ordinato, ad hoc ut Ordinatus benè exerceat munus ſuum.

28. Quando dantur a Deo iſta auxilia?

*Reſp.* Quando Ordinatus exercet ordines receptos.

29. Et quando Ordinatur, recipitne aliquid de iſta gratia? Sacramentali *Reſp.* Recipit Jus ad habendi iſta auxilia ſuo loco, & tempore, nempe quando exercet ordinem.

30. Si quis reciperet ordines in peccato mortali, reciperetne omnes ſupradictos tres effectus? *Reſp.* Reciperet quidem Characterem, & gratiam Sacramentalem, non autem gratiam Santificantem.

31. Quare non reciperet gratiam Santificantem, & reciperet alios duos effectus? *Reſp.* Quia peccatum mortale eſt obex gratiæ Santificanti, & cum illa ſtare non poteſt; nam cum per gratiam reddatur homo Dei amicus, & per peccatum inimicus, ſi ſimul ſtare poſſent, verificaretur, quod ſimul, & ſemel homo eſſet amicus, & inimicus Dei, quod omninò repugnat: hanc autem repugnantiam non habent alii duo effectus cum peccato, unde gratia Sacramentalis, & Character verè recipiuntur, quamvis, qui ordines recipit ſit in peccato lethali.

32. Qui in una Ordinatione reciperet quatuor ordines minores in peccato lethali, committeret ne unum, vel plura peccata?

*Reſp.*

*Reſp.* Committeret quatuor diſtincta Sacrilegia, & ſi reciperet Euchariſtiam committeret etiam quintum Sacrilegium.

33. Quid eſt Sacrilegium? *Reſp.* Eſt violatio rei Sagræ, & opponitur virtuti Religionis.

Si quis dum accedit ad altare, pro receptione ordinis, recordaretur alicujus Peccati mortalis, quid deberet agere? *Reſp.* ſi poſſet ſine ſcandalo recedere ab Altari teneretur confiteri, ſin minus, teneretur elicere actum Contrictionis.

*Supradictæ interrogationes, pro majori parte, ſunt etiam communes Ordinibus majoribus; unde qui ſe examini pro iſtis exponere cupit, illas benè poſſidere debebit, ſicut etiam Actus Fidei, Spei, Charitatis, Contrictionis, & Attrictionis, quos retuli poſt interrogationes pro prima Tonſura.*

## *De Ordinibus Minoribus in particulari.*

1. QUot ſunt Ordines Minores? *Reſp.* Quatuor, nempè Oſtiariatus, Lectoratus, Exorciſtatus, & Acolytatus.

2. Quid eſt Oſtiariatus? *Reſp.* Oſtiariatus eſt ordo Eccleſiaſticus, per quem datur

tur Spiritualis poteſtas claudendi, aperiendi, & cuſtodiendi Eccleſiam.

3. Quænam eſt materia hujus Ordinis? *Reſp.* Materia remota ſunt, Claves Eccleſiæ, proxima eſt traditio Clavium. Aliqui etiam addunt Cymbalum, ſeu Tintinnabulum, ſed communiter non admittitur.

4. Quid ergo ſignificat, quod Oſtiarius debeat pulſare Tintinnabulum? *Reſp.* Significat, quod etiam Oſtiarius habet, poteſtatem vocandi populum ad Eceleſiam, & pulſando Tintinnabulum ad elevationem, admonendi populum ad ſpecialem devotionem, & attentionem erga Hoſtiam conſecratam.

5. Si Epiſcopus loco Clavium Eccleſiæ traderet Ordinando alias Claves, puta Claves ſui Palatii, eſſet ne benè Ordinatus? *Reſp.* Affirmativè; dummodò illæ Claves ſint aptę ad aperiendum, & claudendum; unde ſive ſint ligneæ, ſive Ferreæ, ſive argenteæ, validè ſemper quis Ordinaretur.

6. Si Claves eſſent confectæ ex Sacharo, vel Nive, eſſetne quis validè Ordinatus? *Reſp.* minimè, quia hujuſmodi Claves non ſunt aptæ ed aperiendum.

7. Quid Significant iſtæ Claves? *Reſp.* Sunt ſignum poteſtatis Spiritualis, quæ con-

confertur Ordinato, cuſtodiendi res Eccleſiæ &c.

8. Quæ eſt forma hujus Ordinis? *Reſp.* Sunt verba, quæ profert Epiſcopus, dum Clericus, porrectas ſibi ab eo Claves, phyſicè tangit, nempè: *Sic age, quaſi Deo redditurus rationem pro his rebus, quæ his Clavibus recluduntur.*

9. Quis inſtituit hunc Ordinem? *Reſp.* Chriſtus, velut aliqui dicunt, quando ejecit de templo Ementes, & vendentes, & ut alii dicunt in, ultima cœna.

10. Quodnam eſt officium Oſtiarii? *Reſp.* eſt cuſtodire res Eccleſiæ, templum aperire dignis, eſt excludere indignos.

11. Quinam ſunt indigni, quibus claudendæ ſunt fores Eccleſiæ? *Reſp.* Sunt Excommunicati vitandi, nominatim denunciati ut tales; Infideles, Hæretici, & interdicti, qui tamen omnes admitti poſſunt ad audiendas Conciones.

12. Quid faciet Oſtiarius, qui admonuit Excommunicatum, ut exeat de templo; nec tamen ille vult exire? *Reſp.* Ejus officium eſt ſignificare Sacerdoti celebranti proterviam prædicti Excommunicati; quo facto ille complevit officium ſuum; & erit Sacerdotis adhibere remedia ab Eccleſia præſcripta in tali caſu.

13. Quan-

13. Quandoquidem omnes Ordines referuntur ad Sacramentum Euchariſtiæ, quæro, quam relationem ad illud habet Oſtiariatus? *Reſp.* Refertur, quia Oſtiarius debet aperire januas dignis, aſſiſtendi conſecrationi Euchariſtiæ, & eas Claudere indignis.

14. Simplex laicus poteſt hæc omnia facere, non ergo eſt neceſſè pro his omnibus exequendis ſpecialem ordinem habere? *Reſp.* Laicus facit iſta ex commiſſione, vel ex devotione, aut ex neceſſitate; Oſtiarius verò facit hæc ex officio.

14. Quinam ſunt effectus hujus ordinis? *Reſp.* Tres, nempe Character, gratia Santificans, & gratia Sacramentalis. *de his effectibus, vide interrogationes ſuper Ordinibus Minoribus in genere.*

16. Quis eſt Secundus Ordo minor? *Reſp.* Lectoratus; nomen Lectoratus deſumitur ab officio, ideſt a publica, & ſolemni lectione librorum Sacræ Scripturæ novi, & veteris Teſtamenti.

17. Quid eſt Lectoratus? *Reſp.* Eſt ordo Eccleſiaſticus, quo conceditur Spiritualis poteſtas, Prophetias, & Scripturas legendi in Eccleſia.

18. Quando debent legi iſtæ lectiones? *Reſp.* In Sabbatis quatuor temporum, Sabba-

Digitized by Google

bato Sancto, aliiſque temporibus ab Eccleſia præſcriptis.

19. Quomodo Lectoratus eſt Ordo major Oſtiariatu? *Reſp.* Quia ejus officium eſt nobilius.

20. Quænam eſt materia Lectoratus? *Reſp.* Eſt liber continens Sacras lectiones, ideſt Epiſtolas, & Prophetias, & hæc eſt materia remota; materia autem proxima eſt traditio talis libri.

21. Si loco libri Sacrarum lectionum Epiſcopus traderet tangendum Breviarium, vel Epiſtolas Ciceronis, eſſetne quis validè Ordinatus? *Reſp.* Quantum ad Breviarium eſſet validè Ordinatus; quia in eo continentur Epiſtolæ, & Prophetiæ. Quantum ad librum Ciceronis, non eſſet validè Ordinatus, quia in eo nihil continetur, quod debeat a Lectore ex officio legi.

22. Quænam eſt forma Lectoratus? *Reſp.* Sunt verba prolata ab Epiſcopo, cùm tradit librum tangendum, nimirum; *Accipe, & eſto Verbi Dei relator, habiturus, ſi fideliter, & utiliter officium tuum impleveris, partem cum iis, qui verbum Dei benè miniſtraverunt ab initio.*

23. Quandonam Crhiſtus inſtituit ordinem Lectoratus? *Reſp.* Aliqui dicunt in

ultima cęna; alii verò, cum Chriſtus in medio Seniorum librum Iſaię aperiens, illum locum legere cępit: *Spiritus Domini ſuper me &c.*

24. Quodnam eſt officium Lectoris? *Reſp* Primo eſt legere Prophetias, & Sacram Scripturam, maximè lectiones primi Nocturni in horis matutinis. Secundo Docere pueros principaliora fidei rudimenta. Tertio benedicere Panem, & fructus novos, hodiè tamen hoc officium non eſt ampliùs in uſu.

25. Quam relationem habet hic ordò ad Euchariſtiam? *Reſp.* Suſcepturus Euchariſtiam debet diſponi per Doctrinam fidei; et ideo Lector accipit poteſtatem, ut diſponat pueros baptizatos, docendo illos principalioria myſteria: ſimiliter vetus teſtamentum eſt figura Euchariſtiæ; & hoc modo Lectoratus refertur ad illam.

26. Quinam ſunt effectus hujus Ordinis? *Reſp.* Character, gratia Santificans, & gratia Sacramentalis. *Vide interrogationes ſuper Ordinibus in genere.*

27. Quinam eſt tertius Ordo minor? *Reſp.* Eſt Exorciſtatus; ejus nomen deſumitur ab Exorciſmo, & adiuratione Dęmonis, proinde ab ejus officio.

28. Quid eſt Exorciſtatus? *Reſp.* Eſt Or-

Ordo Eccleſiaſticus, conferens poteſtatem imponendi manus ſuper Energumenos, legendique exorciſmos ad Dæmones fugandos.

29. Quinam ſunt Energumeni? *Reſp.* Sunt illi, qui ſunt obſeſſi, & vexati a Dæmonibus.

30. Quandonam Chriſtus Dominus inſtituit hunc Ordinem? *Reſp.* Quando ejecit Dęmones a vexatis a ſpiritibus immundis.

31. Quomodo Exorciſta deſervit Sacrificio Miſſæ? *Reſp.* Diſponit populum, ut dignè, & devotè interſit Sacrificio Miſſæ, removendo impedimentum Dæmonis per invocationem divini nominis, diſponit etiam Energumenum ad percipiendum hoc Sacramentum; Chriſtus enim Dominus reliquit hanc poteſtatem liberandi Obſeſſos a Dæmonibus, ne iſti impediant Euchariſtiæ receptionem.

32. Quænam eſt Materia Exorciſtatus? *Reſp.* Materia remota eſt liber Exorciſmorum, materia proxima eſt traditio talis libri.

33. Si Epiſcopus loco libri Exorciſmorum traderet Miſſale, vel Pontificale Romanum, eſſet ne quis validè Ordinatus? *Reſp.* Affirmativè, quia in Pontificali Romano monetur Epiſcopus, ſe poſ-

ſe indifferenter unum ex iſtis libris tradere tangendum.

34. Quænem eſt forma Exorciſtatus? *Reſp.* ſunt verba prolata ab Epiſcopo, dum tradit tangendum librum Exorciſmorum, nempe. *Accipe, & commenda memoriæ, & habe poteſtatem manus imponendi ſuper Energumenos, ſive baptizatos, ſive* Catechumenos.

35. Quodnam eſt munus, ſeu Officium proprium Exorciſtæ? *Reſp.* Officium proprium Excrciſtæ eſt manus imponere ſuper Energumenos, & ſuper illos legere Exorciſmos: item parare locum communicaturis, & ad offertorium præbere aquam manibus Sacerdotis.

36. Habetne Exorciſta poteſtatem Exorcizandi Omnes Energumenos? *Reſp.* Habet tantùm ſuper baptizatos, vel Cathecumenos, non autem ſuper infideles, aut Hebræos, ſi adhuc Cathecumeni non ſint.

37. Spectantne ad Exorciſtam Exorciſmi, qui leguntur ſuper omnibus baptizandis? *Reſp.* Negativè, quia illi cum ſint Ordinati ad frænandam poteſtatem Dæmonis in Anima Pueri, debent recitari a Sacerdote.

38. Poteſtne Exorciſta ſtatim, ac recepit ſuum Ordinem, illum exercere. *Reſp.*
Ne-

Negativè, quia recepit ſolùm poteſtatem Ordinis, non autem juriſdiſtionis; requiritur igitur poteſtas juriſdictionis, quæ conceditur ab Epiſcopo per aſſignationem ſubditorum.

39. Quid deberet agere Exorciſta, ſi adhibitis Exorciſmis ſuper Energumeno, ſpiritus immundus non exiret de Corpore? *Reſp.* Ubi legit Exorciſmos complevit officium ſuum; debebit tunc venerari incomprehenſibilia Dei judicia; & inveſtigabiles vias ejus, qui dedit quidem poteſtatem Exorcizandi, ſed non promiſit infallibiliter effectum. Poterit repetere Exorciſmos, & adiungere alias preces; at non tenetur ex vi officii.

40. Quinam eſt. Quartus Ordo minor? *Reſp.* Acolytatus, & inſignitus hoc Ordines dicitur Acolytus, Ceroferarius: ethimologia nominis deſumpta a cereis, quos defert ad Altare.

41. Quid eſt Acolytatus? *Reſp.* eſt ordo Eccleſiaſticus, quo datur poteſtas Ordinato, accendendi luminaria, Candelabrum, cum Cereo deferendi ad Altare; Urceolos implendi, illoſque porrigendi Subdiacono pro ſacro Miniſterio.

42. Quandonam Chriſtus Dominus inſtituit Ordinem Acolytatus? *Reſp.* Aliqui

dicunt in ultima Cœna; aliqui, cum Chriſtus dixit; *Ego ſum lux Mundi*.

43. Qnænam eſt materia Acolytatus? *Reſp.* Materia remota duplex eſt, nempe Candelabrum cum Cereo extinto, & Urceolus vacuus.: Materia proxima etiam duplex eſt, nimirum traditio hujus duplicis materię remotæ.

44. Quare traditur duplex materia? *Reſp.* Ad Significandam duplicem poteſtatem quam recipit Acolytus; alteram ſcilicet in Corpus Chriſti verum, & ſignificatur per Urceolos; alteram in Corpus Chriſti Myſticum, ideſt fideles, & Eccleſiam, quæ per Candelabrum myſticè denotatur.

45. Quare Urceoli traduntur vacui, & Candelabrum extinctum? *Reſp.* Ad ſignificandum ejus officium eſſe accendere Cereum, & implere Urceolos.

46. Si duæ ſunt materiæ,eruntne etiam duo Ordines? *Reſp.* eſt unus ordo tantùm, quia iſtæ ſunt duæ materiæ partiales, quæ conſtituunt unam totalem.

47. Quęnam ex iſtis Materiis eſt nobilior? *Reſp.* Materia nobilior ſunt Urceoli, quia proximius inſerviunt Sacrificio Miſſæ.

48. Si Epiſcopus traderet tangendum ſo-

ſolùm Candelabrum, non verò Urceolos, eſſet ne quis validè Ordinatus? *Reſp.* Eſſet partialiter validè Ordinatus, & ideo debet ſuppleri ſolùm defectus commiſſus, tradendo in alia Ordinatione Urceolos.

49. Quænam eſt forma Acolytatus? *Reſp.* Duplex eſt. Altera ſcilicet ſunt verba prolata ab Epiſcopo in traditione Candelabri, nempe. *Accipe Ceroferarium cum Cereo, & ſcias, te ad accendenda Eccleſiæ luminaria mancipari in nomine Domini.* Altera ſunt verba prolata ab Epiſcopo cùm tradit Urceolos; nempe. *Accipe Urceolos ad ſuggerendum Vinum, & aquam in Euchariſtiam Sanguinis Chriſti in nomine Domini.*

50. Requiritur ne contactus phyſicus utriuſque Urceoli? *Reſp.* Sufficit, ut alter Urceolorum phyſicè tangatur.

51. Quodnam eſt officium Acolyti? *Reſp.* Quantùm ad primam poteſtatem ejus officium eſt præparare lumina ad Sacrificium; Cereum deferre, quando legendum eſt Evangelium; Diacono, & Subdiacono deſervire in Eccleſiaſtio Miniſterio. Quantùm ad ſecundam poteſtatem, ejus officium eſt, Aquam, & Vinum in Urceolis præparare, eoſdemque Aqua, & Vino plenos, Subdiacono miniſtrare in Miſſa.

52. Character hujus Ordinis, imprimitur ne in traditione Urceoli, an Cerei? *Reſp. Ex D. Toma* Character imprimitur in traditione Urceoli. Ordo enim habens duas materas partiales, & formas, imprimit ſuum Characterem in traditione materiæ nobilioris.

53. Quomodo Acolytatus refertur ad Euchariſtiam? *Reſp.* Per hoc, quod ejus officium eſt accendere luminaria; quæ figurant Chriſtum in Euchariſtia verè contentum, ac implere Vrceolos Vino, & Aqua; vinumque illud tranſubſtantiatur in verum Chriſti Sanguinem.

54. Dictum eſt ſupra, Singulos Ordines eſſe Sacramentum, Queritur nunc, an ſint Sacramenta vivorum, vel mortuorum? *Reſp.* Omnes Ordines tàm Minores, quàm Sacros eſſe Sacramenta vivorum.

55. Quare dicuntur Sacramenta vivorum? *Reſp.* quia conferuntur illis, qui ſunt ſpiritualiter vivi, hoc eſt in gratia Dei.

56. Quænam ſunt Sacramenta mortuorum? *Reſp.* Baptiſmus & Pœnitentia.

Quare Baptiſmus & Pęnitentia dicuntur Sacramenta mortuorũ. *Reſp.* Quia conferuntur illis qui ſunt ſpiritualiter mortui gratiæ Dei per peccatum.

De

## *De Ordinibus Majoribus in genere, eorumque obligationibus.*

1. VAlidè ne conferuntur Ordines Sacri per ſaltum? *Reſp.* Affirmativè, ſed tamen illicitè.

2. Requiritur ne certa ætas ad validè illos ſuſcipiendos? *Reſp.* Nequaquam, ſed tantùm requiritur ad illos licitè recipiendos.

3. Quibus temporibus iſti Ordines licitè conferri poſſunt? R*eſp.* In temporibus a Jure ſtatutis, nempe Sabbatis quatuor temporum, Sabbato ante Dominicam Paſſionis, & Sabbato Sanɥto, niſi aliud a Sede Apoſtolica fuerit ſpecialiter indultum.

4. Quot ſunt obligationes majorum Ordinum. R*eſp.* Principales ſunt tres. Primò Servandi Caſtitatem. Secundo recitandi quotidie Horas Canonicas. Tertio incedendi in Habitu, & Tonſura.

5. Vi voti Caſtitatis a quibus ſe abſtinere tenentur Clerici in Sacris Conſtituti? R*eſp.* Tenentur abſtinere ab omnibus venereis, tam illicitis quam illicitis.

6. Quænam ſunt venera licita? R*eſp.* Actus Matrimoniales; unde tenentur etiam ab-

abſtinere a Matrimonio, & ejus uſu.

7. Unde oritur obligatio Servandi Caſtitatem? *Reſp.* Ex Voto Solemni Caſtitatis, quod a Subdiacono juxta Conſtitutionem Eccleſiæ emitti debet in ſui Ordinatione.

7. Debetne hoc votum explicitè emitti? *Reſp.* Sufficit quod emittatur implicitè. Nempe hoc ipſo, quòd quis vult Sacrum Ordinem, implicitè vult obligationes annexas. Tale eſt votum Caſtitatis.

9. Qui invincibiliter ignoraret Ordini Sacro annexum eſſe votum Caſtitatis, obligaretur ne ad illam Servandam? *Reſp.* Obligaretur, eamque verè, & propriè voveret: qui enim vult principale, vult etiam acceſſorium.

10. Si Subdiaconus vellet Ordinari, non tamen vellet Caſtitatem vovere, tunc eſſet ne emiſſum votum Caſtitatis? *Reſp.* Obligaretur ad Caſtitatem, non ex vi voti, quia poſitivè renuit vovere, ſed ex præcepto Eccleſiæ.

11. Quot peccata committit Subdiaconus violans Caſtitatem? *Reſp.* Duo peccata, alterum contra Votum, & eſt Sacrilegium, cum enim Sacrilegium ſit violatio rei Sacræ, Subdiaconus per peccatum contra caſtitatem violat ſeipſum, qui per vo-

tum

tum eſt Perſona Sacrata Deo, alterum contra virtutem Caſtitatis.

12. Quid eſt officium Divinum? *Reſp.* Eſt laus Dei per Eccleſiæ inſtitutionem determinata, & voce expreſſa,

13. Quot ſunt Horæ Canonicæ? *Reſp.* Septem, nempe Matutinum cum laudibus, quæ conſtituunt horam unicam, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Veſpera, & Completorium,

14. Peccatne mortaliter conſtitutus in Sacris, qui ſine gravi, & notabili impedimento relinqueret recitationem officii? *Reſp.* Affirmativè, quia non ſatisfacit præcepto Eccleſiæ ſub lethali recitationem quotidianam divini officii præcipientis.

15. Quot peccata committi Subdiaconus, eadem die omittens recitare omnes Hores Canonicas? *Reſp.* Committit unum peccatum, quia onus illas recitandi imponitur per modum unius, ſi omittat per duos dies, committit duo peccata, quia onus officii eſt pro quolibet die.

16. Si relinqueret ſemel in anno, videtur quod ſit parvitas materiæ reſpectu totius anni? *Reſp.* Negativè, quia uti dixi Onus officii eſt pro quolibet die.

17. Si omitteret unam tantùm Horam Canonicam, puta Tertiam, vel Comple-

torium, committeretne peccatum lethale? *Reſp* Affirmative, quia quælibet hora eſt pars notabilis.

18. Si Relinqueret unum tantum Pſalmum, peccaretne graviter? *Reſp.* Si Pſalmus eſſet unus ex longioribus peccaret graviter, ſecus ſi eſſet unus ex brevioribus, uti *Laudate Dominum omnes gentes*.

19. Si recitaret Pſalmum diſtractè, peccaretne graviter? *Reſp.* Si diſtractio eſſet involuntaria negativè, ſi autem eſſet voluntaria, & Pſalmus eſſet longus, affirmativè, ſecus verò ſi eſſet brevis, etiam ſi diſtractio eſſet voluntaria.

20. Qui omittit recitationem Divini officii, committitne Sacrilegium? *Reſp.* negative, ſed tantum peccatum lethale.

21. Quare ſi Subdiaconus violat votum Caſtitatis committit Sacrilegium, & ſi omittit recitationem divini officii illud non committit? R*eſp.* Quia primum eſt peccatum commiſſionis. & Secundum Omiſſionis.

22. Committit unum, vel duplex peccatum Subdiaconus, qui habens Beneficium omittit recitare officium? R*eſp.* Committit duo peccata, alterum contra juſtitiam, qua tenetur Beneficiatus ratione Beneficii Officium recitare; alterum contra

tra

tra Religionem, quia omittit Orationem ſibi ab Eccleſia præſcriptam.

23. Si haberet notabile impedimentum excuſans a recitatione Matutini, cum laudibus, tenereturne adhuc ſub lethali reliquas Horas Canonicas recitare? R*eſp.* Affirmativè, & contraria ſententia damnata fuit ab Innocentio XI. ſub num. 14.

24. Poteſtne quis ob majorem commoditatem recitare officium brevius pro officio illius Diei, quod longius eſt? R*eſp.* Non poteſt, & Damnata eſt ab Alexandro VII. propoſitio trigeſima, quæ dicit. *In die Palmarum recitans officium Paſchale ſatisfacit præcepto.*

25. Poteſtne quis unico officio Satisfacere duplici præcepto, pro die ſcilicet præſenti, & craſtina? R*eſp.* Nequaquam, & ſententia affirmativa damnata eſt ab Alexandro VII. in propoſitione trigeſima quinta.

26. Quomodo recitari debet divinum officium? R*eſp.* Cum recta intentione, & debita attentione.

27. Intentio cujus potentiæ eſt actus? R*eſp.* eſt actus voluntatis.

28. Quid eſt intentio? R*eſp.* Eſt actus voluntatis in finem, ſeu eſt actus voluntatis, quo illa ſe determinat ad aliquid facien-

ciendum, vel omittendnm, & in noſtro caſu eſt voluntas proponens recitare Horas canonicas, ut ſatisfaciat præcepto illas recitandi.

29. Quotuplex eſt intentio? *Reſp.* Triplex; actualis, virtualis, & habitualis.

30. Quid eſt intentio actualis? *Reſp.* Eſt actus liber, quo voluntas determinat recitare officium, actu perſeverans, & concomitans recitationem officii divini.

31. Quid eſt intentio virtualis? *Reſp.* Eſt actus liber, quo voluntas determinat recitare officium, durans, & perſeverans in opere incepto virtute actualis antecedentis non retractatæ.

32. Quid eſt intentio habitualis? *Reſp.* Eſt conſuetudo operandi, ut quis habens conſuetudinem recitandi officium, illud recitat, ſicut faceret Pſytacus, vel Ebrius, nihil determinans facere.

33. Quænam ex his intentionibus requiritur ad ſatisfaciendum obligationi officii? *Reſp.* Actualis eſt optima, Virtualis ſufficiens, habitualis non, quia cum hac homo non operatur humano modo, ſed more pecudum.

34. Attentio cujus potentiæ eſt actus? *Reſp.* Eſt actus Intellectus.

35. Quid eſt attentio? *Reſp.* Eſt actus in-

intellectus reflectentis ad id, quod facit; & in noſtro caſu eſt reflexio intellectus ad recitationem officii.

36. Quotuplex eſt attentio? *Reſp.* Duplex, Externa, quæ conſiſtit in debita Corporis compoſitione, ad modum orantis, & interna, quæ eſt præſentia animi advertentis ad id, quod facit.

37. Quotuplex eſt attentio interna? *Reſp.* Triplex: Alia materialis, qua quis reflectit ad materialem recitationem officii, ne erret in prolatione verborum; Alia formalis, qua quis reflectit ſupra ſenſum verborum, quæ profert; Alia Spiritualis, qua quis habet mentem elevatam in Deum.

38. Quenam ex his attentionibus eſt neceſſaria ad ſatisfaciendum obligationi officii? *Reſp.* Prima & ultima, non autem Secunda, alias Moniales, quę ut plurimum non intelligunt ſenſum verborum, non ſatisfacerent.

39. Quęnam cauſę excuſant a recitatione divini officii? *Reſp.* Impotentia phyſica, & moralis. Impotentia phyſica eſſet V. G. Si quis careret Breviario, nec poſſet habere, vel eſſet omninò cæcus; Impotentia moralis, ſi detineretur Infirmitate, vel teneretur aſſiſtere moribundo.

In-

## *Interrogationes pro Subdiaconatu.*

1. QUid eſt Subdiaconatus? R*eſp.* Eſt ordo Sacer, per quem datur Ordinato duplex poteſtas, alia primaria, nempè inſerviendi Diacono in Miſſa Solemni, quo ad præparationem vaſorum Sacrorum, altera minùs principalis legendi Epiſtolam in eadem Miſſa Solemni.

2. Quænam eſt Materia Ordinis Subdiaconatus? R*eſp.* Materia remota duplex eſt, nempe Calix vacuus, cum Patena vacua, & Liber Epiſtolarum; Materia proxima eſt traditio hujuſmodi iſtrumentorum, quæ tangi debent phyſicè.

3. Quænam harum materiarum eſt præcipua. R*eſp.* Calix vacuus cum patena vacua? quia hoc ſpectat ad poteſtatem principalem Subdiaconi, cujus actus præcipuus eſt inſervire Diacono in Miſſa Solemni, quo ad præparationem Vaſorum Sacrorum.

4. Si Epiſcopus traderet Calicem cum Vino, & Patenam cum hoſtia, eſſet ne materia apta? R*eſp.* Affirmativè, quia utile per inutile non vitiatur.

5. Quare ſi Epiſcopus in collatione ordi-

dinis Præsbyteratus traderet Calicem ſine Vino, & Patenam ſine hoſtia, non eſſet quis validè Ordinatus, & ſi in collatione Subdiaconatus traderet Calicem cum Vino, & Patenam cum hoſtia, eſſet Ordinatus validè? *Reſp.* Quia in collatione Presbyteratùs tradendo Calicem ſine Vino, & Patenam ſine hoſtia, non adhibet totam materiam eſſentialiter requiſitam; at in Subdiaconatu, tradendo Calicem cum vino, & Patenam cum hoſtia adeſt tota materia eſſentialiter requiſita, quæ non vitiatur per additionem Vini, & hoſtiæ, quia uti dixi, utile per inutile non vitiatur.

6. Quęnam eſt forma ordinis Subdiaconatus? *Reſp.* Sunt verba prolata ab Epiſcopo in traditione materiæ remotæ.

7. Quandonam Chriſtus inſtituit ordinem Subdiaconatus? *Reſp.* In ultima cæna, quando ibi præparavit materiam Euchariſtiæ.

8. In ultima cæna non erat liber Epiſtolarum, quomodò ergo potuit inſtituere hunc ordinem, deficiente ejus materia? *Reſp.* Chriſtus pro materia ordinis ſtatuit in genere inſtrumentum aptum ſignificare poteſtatem Spiritualem, quæ per ordines confertur; Eccleſia verò determinavit ſpeciem inſtrumenti, quod pro temporum,

& locorum varietate magis exprimere poſſit hujuſmodi ſpecialem poteſtatem.

9. Si tradatur Ordinando ſolus Calix, vel ſola Patena, eſſetne valde Ordinatus? *Reſp.* probabilius negativè.

10. Suntne de neceſſitate Sacramenti Vaſa conſecrata, vel ſuffiiunt non conſecrata? *Reſp.* Ex uſu Eccleſiæ debent eſſe conſecrata, ſed hoc non eſt de neceſſitate Sacramenti, licet aliqui ſentiant oppoſitum.

11. Si loco libri Epiſtolarum traderetur tangendus alius liber, eſſetne validè Ordinatus? *Reſp.* Quoad primam poteſtatem eſſet validè Ordinatus; quo ad Secundam, diſtinguendum eſt ſic. Si continet Epiſtolas, ut Biblia, Miſſale, Breviarium, validè eſſet Ordinatus, etiam quo ad Secundam poteſtatem. Si tradatur liber Epiſtolas non continens, non eſſet Ordinatus.

12. Quod eſt officium Subdiaconi? *Reſp.* Officia principalia ſunt duo. Primum, inſervire Diacono in Miſſa Solemni quo ad preparationem Vaſorum Sacrorum pro Sacrificio Miſſæ. Secundum canere in eadem Miſſa Epiſtolam.

13. Quandonam imprimitur Character? *Reſp.* In traditione Calicis, & Patenæ

næ, & profertur forma ab Epiſcopo; quia hæc eſt materia dignior.

14. Quos effectus producit in Anima iſte Ordo? *Reſp.* Illos eoſdem effectus, quos producunt omnes alii Ordines; *unde ne inutiliter repetantur, vide interrogationes pro Ordinibus Minoribus in genere, a 19. uſque ad 31. interrogationem.*

15. Si Subdiaconus exerceret Ordinem in peccato mortali peccaret ne graviter? *Reſp.* Probabilius eſt ipſum peccare peccato Sacrilegii.

16. Tenetur ne Subdiaconus commode potens confiteri, accedere ad Confeſſionem, antequam exerceat Ordinem, an ſufficit contritio? *Reſp.* Sufficere contritionem, dummodo recipere non debeat Euchariſtiam.

17. Quas, & quot obligatione contrahit ſubdiaconus? *Reſp.* Tres. Primo tenetur quotidiè recitare officium divinum. Secundo ſervare perpetuam Caſtitatem. Tertio incedere in habitu, & Tonſura. *Super his obligationibus, vide anteeedentes Interrogationes de Ordinibus majoribus in genere.*

18. Quem habitum gerere debet Subdiaconus, ut adimpleat ſuæ obligationi, & non peccet mortaliter? *Reſp.* Habitum di-

ſtintivum a Laico, juxta morem Regionis.

19. Quænam eſt Veſtis propria Subdiaconi, dum miniſtrat? Reſp. Eſt Manipulus in brachio Siniſtro.

20. Quid ſignificat Manipulus? Reſp. Fructum bonorum operum.

21. Quid ſignificant aliæ Veſtes, quibus induitur Subdiaconus? Reſp. Amictus ſignificat fortitudinem ad exequenda divina officia, quibus mancipatur. Alba ſignificat puritatem vitæ; Cingulus repreſſionem Carnis. Tunicella Tunicam juſtitiæ.

22. Quare iſte ordo dicitur Sacer? Reſp. Quia majora ipſi incumbunt miniſteria: dicitur Sacer; primo, quia ordinati poſſunt tangere res ſacras. Secundo quia Sacrantur Deo per votum Caſtitatis.

*Circa hunc Ordinem fieri poſſunt aliæ interrogationes; an ſit Sacramentú vivorum, vel mortuorum; an requiratur intentio dantis, & recipientis, & quænam intentio. quæ, & quot peccata committeret, qui reciperet in peccato mortali &c. ſed prætermittuntur, ne inutiliter repetatur quod dictum eſt de ordinibus minoribus & Sacris in genere.*

*In-*

## *Interrogationes pro Diaconatu.*

1. QUid eſt Diaconatus? *Reſp.* Eſt ordo Sacer, per quem confertur poteſtas proximè aſſiſtenti Sacerdoti in Miſſa ſolemni, & canendi Evangelium in eadem Miſſa.

2. Eſt ne de Fide, quod Diaconatus ſit Sacramentum? *Reſp.* Nondum eſt de fide, ſed proximum fidei.

3. Quæ eſt materia Ordinis Diaconatus? *Reſp.* Materia remota eſt liber Evangeliorum, & Manus dextera Epiſcopi: Materia proxima eſt traditio, & acceptatio ejuſdem libri, & impoſitio, & tactus phyſicus manus dexteræ Epiſcopi ſuper Caput Ordinati.

4. Sufficeretne, ſi Epiſcopus imponeret ſuper caput Ordinati manum lævam? *Reſp.* Utique, quia, quo ad effectum, ad quem manus imponitur, nulla eſt difficultas inter manum dexteram, & ſiniſtram.

5. Quid ſignificat hæc manus impoſitio? *Reſp.* Significat unionem Ordinati, cum Ordinante in ſpiritu, & gratia.

6. Si loco libri Evangeliorum traderetur tangendus alius liber, eſſetne quis validè Ordinatus? *Reſp.* Si talis liber con-

tinet Evangelia; erit validè Ordinatus, ſecus non.

7. Apoſtoli Ordinaverunt Diaconos per ſolam manuum impoſitionem; ſimiliter ergo noſtri Diaconi per iſtam eruntne validè Ordinati? *Reſp.* Chriſtus Dominus non determinavit in individuo materias ſingulorum Ordinum, ſed reliquit Apoſtolis in particulari, ut traderent tangendum inſtrumentum aliquod, quo pro diverſitate temporum ſignificaretur munus, & officium cujuſcumque Ordinis: hinc Eccleſia, tunc uſa eſt manuum impoſitione, nunc autem utitur libro Evangeliorum.

8. Quænam eſt forma Ordinis Diaconatus? *Reſp.* Sunt verba prolata ab Epiſcopo, dum Ordinandus phyſicè tangit Evangelium, nempe: ***Accipe poteſtatem legendi Evangelium in Eccleſia Dei, tam pro vivis, quàm pro Defunctis.***

9. Quinam ſunt effectus hujus Ordinis? *Reſp.* Gratia Sanctificans, Gratia Sacramentalis, & Character. *Vide interrogationes pro Ordinibus minoribus in genere à 19. uſque ad 31. interrogationem.*

10. Quęnam eſt Veſtis propria Diaconi dum miniſtrat? *Reſp.* Eſt Stola decuſſatim poſita ſuper humerum ſiniſtrum,

pen-

pendens ſub latere dextero.

11. Quænam ſunt officia Diaconi? *Reſp.* Precipuè duo, primum, inſervire immediatè Sacerdoti in Miſſa Solemni. Secundum, canere Solemniter Evangelium in eadem Miſſa.

12. Poteſtne Diaconus ex officio diſtribuere Corpus Chriſti? Minimè, ſed tantùm poteſt de commiſſiones Sacerdotis: hoc tamen in uſu non eſt, cum ſit maxima Sacerdotum Copia: hinc non niſi in maxima neceſſitate hoc fieri licebit.

13. Qualis neceſſitas requiritur, ut hoc licite fieri poſſit? *Reſp.* Neceſſitas agonizantis, ad quem Sacerdos Sacrum Viaticum deferre nequeat.

14. Poteſtne Diaconus ex officio diſtribuere Sanguinem? *Reſp.* Ubi eſt conſuetudo communicandi ſub utraque ſpecie poteſt.

15. Quare poteſt ex officio diſtribuere Sanguinem Chriſti, & non poteſt ex officio diſtribuere Corpus? *Reſp.* Quia diſtribuendo Sanginem, illum non tangit immediatè, ſed in diſtributione corporis, illud immediatè tangitur.

16. Quam igitur poteſtatem habet Diaconus ſupra Corpus Chriſti reale? *Reſp.* Habet poteſtatem ſupra illud, prout con-

tentum in Vaſe ſacro; unde poteſt transferre de loco ad locum Pixidem, & Calicem, in quibus reſpectivè continetur Corpus, & Sanguis Chriſti, ſed neque Corpus, neque Sanguinem tangere immediatè poteſt.

17. Poteſt ne Diaconus ex Commiſſione Parochi miniſtrare extremam Unctionem? *Reſp.* Negativè.

18. Quare Diaconus de Commiſſione poteſt miniſtrare Euchariſtiam, & non poteſt miniſtrare extremam Unctionem? *Reſp.* Quia Diaconus dum miniſtrat Euchariſtiam, non conficit Sacramentum, at miniſtrando Extremam Unctionem conficeret Sacramentum, quod nec a praxi, nec ab ullo jure conceditur Diacono.

19. Poteſtne Diaconus baptizare Solemniter? *Reſp.* Ex commiſſione Parochi, vel ſi eſt Parochus poteſt.

20. Quid eſt baptizare Solemniter? *Reſp.* Eſt baptizare cum cęremoniis, & ritibus ab Eccleſia præſcriptis.

21. Poteſtne Parochus ex quacumque cauſa committere Diacono collationem baptiſmi? *Reſp.* Negativè, ſed ex gravi cauſa, juſta, & rationabili, eum impediente.

22. Si Diaconus ſine commiſſione Sacerdotis Solemniter baptizaret, peccaretne?

ne? *Reſp.* Peccaret mortaliter, quia uſurparet juriſdictionem alterius, & incurreret irregularitatem, *ex cap. 1. de Cler. non Ord. Min.*

23. Quanam Veſte debet eſſe indutus Diaconus, cum ſolemniter baptizat, aut defert Euchariſtiam ex commiſſione Sacerdotis? *Reſp.* Superpelliceo, & ſtola tranſverſa, quæ eſt Veſtis propria illius.

24. Per quam materiam, & formam confertur Diacono poteſtas baptizandi, & deferendi Euchariſtiam ex commiſſione Sacerdotis? *Reſp.* Per manus impoſitionem, & ejus formam.

25. Poteſtne Diaconus ex commiſſione Parochi aſſiſtere Matrimonio? *Reſp.* Negativè, quia *Concilium Tridentinum*, *ſeſſ.* 24. *de Reform.* hoc munus committit ſolùm Parocho, aut alteri Sacerdoti, de ipſius Parochi, aut Ordinarii licentia.

27. Si Diaconus eſſet Parochus, poſſetne aſſiſtere Matrimonio? *Reſp.* Valdè probabile eſt, ipſum poſſe ex officio aſſiſtere.

27. Quænam ſunt obligationes Diaconi? *Reſp.* Tres, ſcilicet recitare quotidie divinum officium, ſervare caſtitatem, & incedere in habitu, & Tonſura. *Super his obligationibus, vide interrogationes ſuper*

*Or-*

*Ordinibus Majoribus in genere.*

28. Si Diaconus committat peccatum contra Caſtitatem, committetne duplex peccatum, alterum, quia violavit obligationes Diaconi, alterum, quia violavit obligationes Subdiaconi? *Reſp.* Committet unum, quia violavit duas obligationes, reſpicientes eamdem virtutem religionis, & ad eumdem finem Impoſitas.

## *Interrogationes pro Ordine Presbyteratus.*

1. Quid eſt Sacerdotium? *Reſp.* Eſt Ordo Sacer, ſeu Sacramentum novæ legis, per quod confertur Ordinato duplex poteſtas: Altera ſupera Corpus Chriſti verum, nempe conſecrandi, ſeu tranſubſtantiandi panem in Corpus, & vinum in Sanguinem Chriſti: Altera in Corpus Chriſti Myſticum, nempe abſolvendi, & retinendi peccata fidelium.

2. Quodnam eſt Corpus Chriſti myſticum? *Reſp.* Eſt Eccleſia, ſeu fideles conjuncti Chriſto tanquam Capiti.

3. Quomodò differt Sacerdotium novæ legis ab illo legis veteris? *Reſp.* Differt per hoc, quod Sacerdotes veteris legis per

eo-

eorum Sacrificia, non conferebant gratiam, noſtri verò Sacerdotes impetrant per Sacrificia Nobis gratiam, & illam conferunt per Sacramenta, illi nullum habebant Ordinis Characterem in Anima, noſtri habent; Unde illi erant figura Noſtrorum.

4. Quiſnam inſtituit Sacerdotium novæ legis? *Reſp.* Chriſtus Dominus in ultima cœna, cum dixit Apoſtolis, *hoc facite in meam commemorationem.*

5. Quænam eſt materia Ordinis Sacerdotalis? *Reſp.* Eſt duplex, ſicut duplex eſt poteſtas, in Corpus Chriſti verum, & in Corpus Chriſti myſticum; Materia remota primæ poteſtatis eſt Calix cum Vino, & aqua; & Patena cum Hoſtia; Materia proxima eſt traditio ejuſdem Calicis, & Patenæ. Materia remota Secundæ poteſtatis ſunt manus Epiſcopi, & proxima impoſitio Manuum.

6. Cum Sacerdos debeat tangere phyſicè materiam ſui ordinis, quare non tangitur phyſicè Vinum in Calice? *Reſp.* Conſuetudo Eccleſiaſtica habuit, Vinum tangere non in ſe, ſed per contactum Calicis; eſſetque maxima indecentia immittere digitos in Calicem; Neque ex hoc erui poteſt paritas, quod etiam alia ordinis inſtrumenta ſufficienter tangantur tantùm morali-

liter; nam ex uſu Eccleſiæ, cætera præbentur tangenda phyſicè, non verò Vinum.

7. Si tradatur tangenda materia panis tantum, & non Vini, reciperetne quis utramque poteſtatem conſecrandi Corpus, & Sanguinem Chriſti? *Reſp.* Affirmativè, quia ſub una ſpecie tantùm, eſt totum Corpus, & Sanguis Chriſti, & ipſius mors, & Crucis Sacrificium repręſentatur, quamvis non ita explicitè, nec cum perfecto refectionis ſigno.

8. Si ex aliquo defectu eſſentiali, non eſſet Ordinato collata prima poteſtas in Corpus Chriſti verum, reciperetne Secundam poteſtatem, in Corpus Chriſti Miſticum, dum Epiſcopus imponit illi manus? Negativè, quia poteſtas in Corpus Chriſti myſticum fundatur in prima poteſtate. Unde qui ſic eſſet Ordinatus, utpotè nulliter Ordinatus, deberet iterum Ordinari.

9. Si omiſſa fuiſſet manuum impoſitio ſupra caput Ordinandi, poteritne validè abſolvere? *Reſp.* probabile eſt, quod non poſſit. Hoc certum eſt, omiſſionem illam ſupplendam eſſe in nova Ordinatione, & ſic Ordinatus, etiam a Celebrando ſe abtinere debet.

10. Quænam eſt forma Ordinis Sacerdo-

dotalis? *Reſp.* Quoàd utramque poteſtatem, ſunt verba, quæ profert Epiſcopus. Singula ſunt formæ partiales, habentes ſimul conſtituere unum totale Sacramentum.

11. Eſtne de fide, quod hic ordo ſit Sacramentum? *Reſp.* Utique, nam ex Trid. *Seſſ. 23. Can. 3. Anathema ſit, qui dixerit Ordinem, ſive Sacram Ordinationem, non eſſe verè & propriè Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum.* Nomine Ordinis, venit ſaltem Supremus, & ita eſt articulus fidei, quod Sacerdotium ſit verè, & propriè Sacramentum.

12. Quos effectus producit in Anima iſte ordo? *Reſp.* Illos eoſdem, quos producunt alii ordines; *unde vide interrogationes ſuper ordinibus minoribus in genere n. 19.*

13. Sacerdos habetne aliquas obligationes? *Reſp.* Vltra tres communes Diacono, & Subdiacono, nempe ſervandi perpetuam Caſtitatem, recitandi quotidiè divinum officium, & incedendi in habitu, & Tonſura, tenetur celebrare in præcipuis Feſtis; & maximè in illis diebus, in quibus Fideles commnnicare conſueverunt.

14. Quod eſt officium Sacerdotis? *Reſp.* Juxta duplicem poteſtatem, habet duplex officium: Aliud conſecrandi Corpus, &

San-

Sanguinem Chriſti: Aliud abſolvendi, & retinendi peccata Fidelium; ex his alia ſequuntur minus principalia, explicata ab Epiſcopo, dum Ordinat.

15. Quid eſt Sacrificium in genere? R*eſp*. Eſt oblatio rei ſenſibilis, a publico Miniſtro facta Deo, cum mactatione victimæ, in recognitionem ſupremi Dominii, quod Deus habet ſuper vitam, & mortem.

16. Quid eſt Miſſa? R*eſp*. Eſt conſecratio Euchariſtiæ ſub utraque ſpecie, ejuſdem oblatio, & ſumptio, cum cæremoniis ad illam pertinentibus, tàm ante, quam poſt conſecrationem.

17. Unde deſumitur hoc nomen Miſſa? R*eſp*. A verbo *mitto*; Unde Miſſa idem eſt, ac miſſio, quia hæc Sacroſancta Hoſtia fuit nobis a Deo Miſſa pro redemptione hominum, & nos iterum remittimus illam ad Deum miniſterio Sacerdotum.

18. Eſt ne idem Miſſa, & Sacrificium Euchariſticum? *Reſp*. Licet lato modo, & ut plurimum ſumantur pro eodem, tamen in rigore Miſſa eſt continens, & Sacrificium eſt res contenta. Sacrificium enim tantùm dicit conſecrationem, oblationem, & ſumptionem.

19. Quid eſt igitur Sacrificium Miſſæ?

*Reſp*.

*Reſp.* Eſt conſecratio, oblatio, & Sumptio, Sanctiſſimæ Euchariſtiæ ſub utraque ſpecie panis, & vini, in honorem, & cultum Dei, & ad expianda populorum peccata.

20. Cui offertur Sacrificium? *Reſp.* Uni, & ſolo Deo Patri, Filio, & Spiritui Sancto; eſt enim actus latriæ, qui ſoli Deo debetur.

21. Multi petunt, ſibi dici Miſſas B. Virginis, vel alterius Sancti, tunc nonne illis offertur Sacrificium? *Reſp.* Non, ſed Deo in honorem Sanctorúm.

22. Quomodo Chriſtus, cum ſit filius Dei, poteſt offerri in Sacrificium Filio Dei? Victima enim, quæ immolatur, non poteſt idem eſſe cum eo, cui immolatur? *Reſp.* Cum Chriſtus ſit Deus, & homo; ut Deus, eſt ille, cui immolatur Victima, ut Homo eſt Victima immolata.

23. Quotuplex eſt Sacrificium Miſſæ? *Reſp.* Triplex, Propitiatorium, Impetratorium, & Satisfactorium.

24. Quot ſunt partes Sacrificii Miſſæ? *Reſp.* Tres, nempe Conſecratio, oblatio, & Conſumatio.

25. Sunt ne omnes iſtæ partes, eſſentiales? *Reſp.* affirmativè.

26. Quotuplex eſt oblatio in Miſſa?

*Reſp.*

ſpondet meritis Chriſti, & diſtribuitur ejus quantitas, juxta inſtitutionem factam à Chriſto; ſecundus correſpondet fervori, & precibus peculiaribus, quas dicit Sacerdos in Miſſa nomine proprio, puta *Memento*, & ſimilia.

31. Valet ne applicatio Miſſæ facta ſub conditione? *Reſp.* Si conditio ſit de futuro, puta, celebro pro eo, qui mihi eleemoſynam dabit. Non valet; quia fructus Sacrificii nequit remanere ſuſpenſus. Si conditio ſit de præterito, puta celibro juxta intentionem illius, qui mihi eleemoſynam dedit, valet.

32. Qui recepit eleemoſynam trium Juliorum pro una Miſſa, poteſtne committere alteri Sacerdoti celebrationem, dando illi Julium unum, aliis duobus ſibi retentis? *Reſp.* Negativè; hoc enim ſapit turpem quæſtum.

33. Si detur Sacerdoti eleemoſyna omninò incongrua pro celebratione Miſſarum, puta Julium unum pro decem Miſſis, ſufficitne, quod celebret Miſſam unam juxta ſolitam taxam unius Julii, pro qualibet Miſſa? *Reſp.* debet celebrare decem, quas promiſit, nec ſatisfacit, ſi celebret minus.

34. Peccat ne, ſi celebret tantùm no-

vem? *Reſp.* Peccat graviter; neque enim menſuranda eſt gravitas a nummis, quos retinuit, qui utique ſunt parva materia in ratione furti: ſed quia privat dantem eleemoſynam Sacrificii fructu: qui materia gravis eſt.

35. Poteſtne accipere eleemoſynam duplicatam pro eodem Sacrificio, applicando uni fructum medium, qui dantibus eleemoſynam applicari ſolet, & alteri fructum Specialiſſimum proprium celebrantis? *Reſp.* Nequaquam, & contraria ſententia damnata eſt ab Alexandro VII. propoſ. 8.

36. Cappellanus, cui ex Cappellania proveniunt tres Julii, pro ſingulis Miſſis, celebrando per alium, poteſtne eleemoſynam congruam Julii unius tradere celebranti, duobus Juliis ſibi retentis? *Reſp.* Affirmativè, quia ſtipendium Cappellaniæ non eſt pro ſola Miſſa.

37. Quænam eſt materia Sacramenti Euchariſtiæ? *Reſp.* Duplex: alia eſt materia Corporis, alia Sanguinis. Materia Corporis eſt panis triticeus. Materia Calicis, ſeu Sanguinis eſt vinum de Vite, cui modica aqua admiſcenda eſt, nempe una, vel altera gutta.

38. Panis Triticeus debetne eſſe azymus,

mus, vel fermentatus? *Reſp.* Uterque eſt materia certa, ſed in Eccleſia Latina, ex præcepto debet eſſe azymus, & in Græca fermentatus.

39. Maſſa cruda triticea, eſtne materia ſufficiens conſecrationis? *Reſp.* Nequaquam, quia quamvis non differat ſubſtantialiter a pane cocto, tamen panis uſualis non eſt, nec venit ſub nomine panis, ſed paſtæ.

40. Panis ex Hordeo, Avena, Farro, Fabis, aut ſimilibus, eſtne materia ſufficiens? *Reſp.* Nequaquam, quia non conſtituunt panem uſualem.

41. Si Panis eſſet confectus ex Tritico, & Hordeo eſſet ne materia ſufficiens? *Reſp.* Si Hordeum eſſet in parva quantitate eſſet materia ſufficiens; ſecus non.

42. Muſtum eſt ne materia ſufficiens; *Reſp.* Affirmativè, quia in ſubſtantia eſt Vinum, quamvis non ſit purgatum.

43. Acetum eſt ne materia ſufficiens? *Reſp.* Negativè, quia eſt Vinum corruptum, quod amiſit Vini ſubſtantiam.

44. Vinum quod incipit aceſcere, eſt ne materia apta? *Reſp.* Eſt materia dubia, adeoque in eo conſecrans peccat mortaliter.

45. Vinum ex Agreſta, & Uvis imma-

turis expreſſum eſtne materia ſufficiens? *Reſp.* Nequavam, quia non eſt Vinum uſuale, ſic etiam nec Vinum aduſtum, ſeu Muſtum coctum.

46. Vinum Miraculoſum, ſeu aqua ex miraculo in Vinum converſa, eſtne materia ſufficiens? *Reſp.* Affirmativè, quia licet tale Vinum, de Vite non ſit, eſt tamen ex virtute Auctoris Vitis, & ſubſtantialiter, & accidentaliter phyſicè conveniens cum Vino Vitis, & differt tantùm in modo ſuæ productionis.

47. Debetne Vino conſecrando miſceri aqua? *Reſp.* Utique, quia de Chriſto, per traditionem habetur, quod in ultima Cœna Vinum aqua miſcuerit, & præcipit Eccleſia.

48. Voluntariè omittens admiſtionem aquæ, conſecraretne? Affirmativè, ſed peccaret lethaliter, quia facit contra præceptum Eccleſiæ, in re gravi.

49. Omiſſio modicæ aquæ videtur potius parvitas materiæ? *Reſp.* Licet quantitas aquæ miſcendæ materia levis ſit, cum debeat eſſe una, vel altera gutta, ejus tamen ſignificatio eſt gravis.

50. Quid ſignificat, ſeu repræſentat iſta miſtio? *Reſp.* Repreſentat aquam, quę exivit ex latere Chriſti, unionem Chriſti

cum

cum Eccleſia, & unionem Verbi divini cum humanitate.

51. Convertiturne aqua miſta Vino in Sanguinem? *Reſp.* Utique, quia de toto, quod eſt in Calice, dicitur hic eſt Sanguis meus.

52. Datur ne aliquis Caſus, in quo liceat Sacerdoti Conſecrare Vinum, quod incipit aceſcere? *Reſp.* Unicus tantùm caſus dari poteſt, nempe ſi eſſet jam facta conſecratio Panis, & non ſuppeteret aliud Vinum conſecrandum, niſi Vinum quod incipit aceſcere, tunc ad perfectionem Sacrificii liceret conſecrare tale Vinum. Ceterum in nullo alio caſu eſt licitum.

53. Si facta Conſecratione, Sacerdos advertat materiam conſecratam eſſe ineptam quid deberet agere? *Reſp.* Si facta conſecratione Panis, ante conſecrationem Vini, Sacerdos advertat, Hoſtiam eſſe confectam ex materia inepta, vel dubia, debet accipere aliam materiam idoneam, & illam conſecrare, incipiendo ab illis verbis: *Qui pridiè &c:* deinde priorẽ materiam ineptam conſervare, ut eam comedat poſt Calicis ſumptionem. Si autem hoc advertat poſt ſumptionem Sanguinis, apponi debet nova Hoſtia apta, & novum Vinum cum aqua, & facta oblatione, ſaltem men-

taliter conſecrabit utramque ſpeciem; incipiendo ab illis verbis. *Qui pridie* &c. Hæc de defectu materiæ Corporis.

54. Quantum ad defectum Materiæ Calicis hæc advertat: Si poſt Conſecrationem Calicis, advertat in Calice non fuiſſe poſitum Vinum, ſed aquam, vel acetum, hæc deponat in aliquod vas proicienda finita Miſſa in Sacrarium, & aſſumat Vinum cum aqua, & facta oblatione, ſaltem mentaliter, conſecret, incipiendo ab illis verbis: *Simil modo* &c. ſi poſt ſumptionem corporis, advertat non fuiſſe poſitum Vinum, ſed aquam tantum, vel acetum, reaſſumat aliam Hoſtiam conſecrandam, apponat in Calice Vinum cum aqua, utrumque ſaltem mentaliter offerat; utramque ſpeciem denuò conſecret, incipiendo ab illis verbis. *Qui pridie* &c. Si Miſſa celebretur in loco publico, ubi plures adſint, ad evitandum Scandalum, poterit apponere tantùm Vinum cum aqua, hæc offerre, & conſecrare, deinde proſequi cętera.

55. Qualis præſentia materiæ conſecrandæ requiritur ad validam ejus conſecrationem? *Reſp.* Talis præſentia requiritur, ut per pronomen *hoc*, vel *hic*, independenter a diſcurſu, vel nutibus, juxta ger-

germanam, & materialem ejus ſignificationem demonſtrari poſſit.

56. Si quis, inter plures particulas ibi præſentes; ſex tantum vellet conſecrare, vel mediam partem hoſtiæ, validène conſecraret? R*eſp.* Si intentio conſecrantis feratur in dimidiam partem hoſtiæ determinatè, & in ſex particulas determinatè, validè conſecraret, ſi autem feratur in illas indetermimatè, & in vago, nihil remaneret conſecratum.

57. Quænam ſunt verba, ſeu forma conſecrationis Corporis? R*eſp.* Sunt: *Hoc eſt enim Corpus meum.*

58. Suntne omnia iſta verba de eſſentia? R*eſp.* Omnia ſunt de eſſentia, excepta particula *Enim*, quæ tantùm connectit verba antecedentia, cum conſequentibus, ſed ſi Sacerdos voluntariè illam omitteret, peccaret graviter.

59. Conſecraretne Sacerdos; qui loco dicendi *Hoc*, diceret *Hìc* eſt corpus meum? R*eſp.* Si ex inadvertentia, vel ex ignorantia gramaticæ, acciperet ly *Hìc* nominaliter, putans eſſe generis maſculini, tunc conſecraret, quia adhuc permanet ſignificatum formæ; ſi ly *Hìc* ſumeret adverbialiter, intelligens, in hoc loco eſt corpus meum, non conſecraret,

quia facta eſſet eſſentialis mutatio in ſignificatione verborum formæ.

60. Quænam eſt forma Conſecrationis Calicis? Reſp. *Hic eſt enim Calix Sanguinis mei, novi, & æterni Teſtamenti, Myſterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.*

61. Suntne omnia iſta verba eſſentialia? nequaquam, ſed tantum eſſentialia ſunt; *Hic eſt Calix Sanguinis mei*, ceterá alia ſunt accidentalia, quibus relictis, adhuc eſſet valida conſecratio.

62. Peracta Conſecratione, remanetne ſubſtantia Panis, & Vini? *Reſp* Nihil omninò de ſubſtantia remanet, ſed tota tranſubſtantiatur, ſeu convertitur in ſubſtantiam Corporis Chriſti, & remanent ſola accidentia, ſine ſubiecto, qualia ſunt quantitas, color, ſapor &c.

63. Quomodo manent illa accidentia ſine ſubiecto? *Reſp.* Miraculosé conſervantur a Deo.

64. Quid eſt Traſubſtantiato? *Reſp.* Eſt converſio totius ſubſtantiæ Panis, in ſubſtantiam Corporis Chriſti.

65. Quomodo exiſtit Chriſtus ſub ſpeciebus? *Reſp.* Non exiſtit circumſcriptivè, itaut ſingulæ partes ſint extra ſe invicem po-

poſitæ, & occupent diſtinctum ſpatium; ſed definitivè in hoc ſenſu, quod totus Chriſtus ſit in tota Hoſtia, & totus in qualibet parte Hoſtiæ, ſive diviſæ, ſive conjunctæ.

*66.* Dictum eſt ſupra, quod Sacrificium ſit oblatio rei ſenſibilis, a publico Miniſtro facta Deo, cum mactatione Victimæ. Inſuper dictum eſt, quod in Sacrificio Miſſæ Victima,quæ mactatur ſit Chriſtus ut homo. Quæritur nunc, quomodò mactatur Chriſtus in Sacrificio Miſſæ? *Reſp.* Non mactatur phyſicè, & cruentè, nempe cum effuſione ſanguinis, ſicut mactatus fuit in Ara Crucis, ſed myſticè, ſeu moraliter, & incruentè, nempe aſque Sanguinis effuſione.

67. In quo conſiſtit hæc mactatio miſtica ſeu moralis? *Reſp.* conſiſtit in eo, quod quantum eſt ex vi verborum conſecrationis Panis, venit ſub ſpeciebus panis tantùm Corpus, & quantum eſt ex vi verborum conſecrationis vini, venit ſub ſpeciebus vini tantùm Sanguis, unde vi verborum conſecrationis, ſeparatur Corpus a Sanguine, & Sanguis a Corpore, & in hac miſtica ſeparatione conſiſtit mactatio. Licet autem ſub ſpeciebus panis, vi verborum, ponatur ſolum Corpus, & ſub ſpecie-

bus vini, vi verborum ponatur ſolùm Sanguis, tamen concomitanter veniunt reliqua, quia ſub qualibet ſpecie venit Corpus viuum ( licet mortuo modo ; quia non exercet opera vitæ ) & per conſequens quidquid cum corpore, & Sanguine habet unionem phyſicam, aut naturalem connexionem ; unde concomitanter veniunt Anima, perſona Verbi, & divinitas.

68. Venitne etiam Trinitas? *Reſp.* venit per circuminſeſſionem, quia cum tres divinæ perſonæ habeant eamdem eſſentiam, naturam, & divinitatem ; ubi eſt una Perſona, de neceſſe, eſt etiam alia.

69. Quot peccata committit Sacerdos, qui celebrat in peccato mortali? *Reſp.* committit duo Sacrilegia : Alterum, quia conficit Sacramentum in peccato mortali, alterum, quia recipit ; & ſi miniſtrat Fidelibus committit tertium Sacrilegium.

70. Quid ergo debet facere Sacerdos exiſtens in peccato mortali, qui tamen celebrare velit? *Reſp.* Si adſit copia Confeſſarii tenetur confiteri ; Si deeſt Confeſſarius, omittat celebrare ; vel ſi eſſet urgens neceſſitas celebrandi, ad evitandum grave Scandalum eliciat actum contritionis, cum propoſito confitendi quam primum ;

hoc

Digitized by Google

hoc enim ſub mortali præcipitur a Tridentino.

71. Quomodo intelligitur illud quam primum? *Reſp.* intelligitur intra duos, vel tres dies, ſub præcepto rigoroſo, obligante ſub lethali, & oppoſitum eſt damnatum ab Alexandro VII. prop. 39.

72. Si inter celebrandum Sacerdos recordetur, ſe non eſſe jejunum, poteſtne proſequi Miſſam? *Reſp.* Si timeat Scandalum grave, ſivè ante conſecrationem, ſivè poſt, hoc impedimentum illius memoriæ occurrat; Miſſam proſequatur; ſi celebret in Sacello privato coram familiaribus, apud quos nullum eſt ſcandali periculum, ſi ante conſecrationem recordetur, recedat ab Altari; ſi poſt conſecrationem, unius etiam ſpeciei, Miſſam proſequatur; quia perficere Sacrificium eſt de jure divino, quod prævalet juri Eccleſiaſtico celebrandi jejunè.

73. Ordinatus in Sacerdotem, poteſtne ſtatim celebrare? *Reſp.* Quoad validitatem utique; ſed ut licitè celebret prius debet eſſe inſtructus in Rubricis.

74. Quid eſt abſolvere, & retinere peccata? *Reſp.* Peccata ſunt quædam vincula, quæ nos ligant, & conſtituunt reos ante Dei Tribunal. Sacerdos ergo per abſo-

ſolutionem ſolvit ab iſtis vinculis; per negationem abſolutionis illius, quem cognoſcit indiſpoſitum, dicitur retinere peccata.

75. Sacerdos ſtatim ac eſt Ordinatus, poteſtne abſolvere a peccatis? *Reſp.* Nequaquam; nam ad abſolvendum a peccatis, non ſufficit poteſtas ordinis, quam recipit in Ordinatione, ſed requiritur etiam poteſtas juriſdictionis, quæ conceditur ab Epiſcopo, qui admittendo illum ad Confeſſiones aſſignat ſubditos, quos judicet in foro conſcientiæ.

76. Poteſtne ſaltem Sacerdos in aliquo caſu, etiam ſi non habeat ſpecialem commiſſionem ab Epiſcopo, aliquos abſolvere? *Reſp.* Poteſt ſolùm abſolvere fideles exiſtentes in Articulo, & periculo mortis, dummodo non adſit alius Sacerdos approbatus ad Confeſſiones.

77. Quinam eſt articulus Mortis? *Reſp.* dicitur articulus mortis, quando mors imminet ex cauſis intrinſecis, nempe corporis infirmitatibus.

78. Quodnam eſt periculum mortis? *Reſp.* dicitur periculum mortis, quando mors imminet ex cauſis extrinſecis, ut accidit in Bello, in naufragio &c.

79. A quo accipit ſimplex Sacerdos

fa-

facultatem abſolvendi in ſupradictis caſibus? *Reſp.* Ab Eccleſia, quæ neminem vult perire.

80. In tali articulo, ſeu periculo, poteſtne ſimplex Sacerdos abſolvere ab omnibus peccatis Papæ reſervatis, ac etiam ab omni Excommunicatione incurſa, etiam propter Hæreſim? *Reſp.* Affirmativè; nam in articulo, & periculo mortis nulla eſt reſervatio.

81. Qua forma uti debet Sacerdos in abſolvendo? *Reſp.* Si non ſit periculum, mortis, ante completam abſolutionem, premittere debet preces, quæ in Rituali Romano præſcribuntur. Si urget neceſſitas in periculo, vel articulo mortis, brevius poterit dicere: *Ego te abſolvo ab omnibus cenſuris, & peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

82. Invocatio Sanctiſſimæ Trinitatis eſtne de eſſentia? *Reſp.* Non eſt de eſſentia, ſicut eſt de eſſentia Baptiſmi, quia Chriſtus ſic inſtituit.

83. Quare præmittitur abſolutio a cenſuris? *Reſp.* Quia cenſuratus eſt incapax Sacramentorum; unde ut reddatur capax Sacramentalis abſolutionis debet removeri impedimentum cenſurarum.

84. Quomodo ſe gerere debet Sacerdos

dos cum publicè Excommunicato, qui in articulo mortis petit abſolvi? *Reſp.* Debet prius exigere ab eo, & petere juramentum de ſtando mandatis Eccleſiæ, ſeu de præſentando ſe ſuperiori legitimo, ad effectum ut eidem obediat in re, pro qua Epiſcopus Excommunicationem tulit. Inſuper ſi excommunicatio lata fuit ad inſtantiam alicujus læſi, & offenſi, debet ab Excommunicato exigere cautionem de ſatisfaciendo parti læſæ.

85. Si Moribundus convaleſcat, & negligat ſe preſentare, incurritne aliquam pœnam? *Reſp.* Reincidit in omnes, & ſingulas excommunicationes, quibus erat innodatus, & a quibus abſolutus fuerat occaſione mortis periculi; non ita, quod recedeant excommunicationes, ſed quia Eccleſia iterum excommunicat eum, qui ab Excõmunicatione abſolutus, propter mortis periculum, negligit poſtea in ſtatu ſanitatis præſentare ſe ſuperiori, ut ei obediat, & ſatisfaciat.

86. Quomodò ſe gerere debet Sacerdos cum eo, qui fuit vulneratus, & in mortis articulo reperitur? *Reſp.* Debet primò ei perſuadere, ut ex corde inimico ignoſcat, & remittat offenſam; quod ſi nolit remittere offenſam, abſolvere non debet.

*Mul-*

*Multæ aliæ interrogationes fieri poſſent; ſed illas omnes exponere diffuſi operis ſtudium eſſet, excedens brevitatis limites jam præfixos. Verùm ſi examinandus ſupradictas benè didicerit, utpotè principales difficilè erit in examine reprobatus.*

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google